4.000,-

DAN. HEINSII DISSERTATIO Epiſtolica,

An viro literato ducenda ſit uxor, & qualis?

ITEM

Ejuſdem alia AMOENIORA opuſcula.

Quibus hac novâ Editione nunc primùm acceſſêre

V. N. IACOBI EYNDII ab Hæmſtede

IOCI FVNEBRES

in Obitus aliquot Animalium.



LVGDVNI BATAVORVM,

Apud GODEFRIDVM BASSON,

CIƆ. IƆ. CXVIII.

Continentur hoc libello

DAN. HEINSII

EPISTOLA ad Iacobum Primerium, in qua excutitur nobilis Quæstio: *Qualis viro literato ducenda sit uxor? &, an ducenda?*

Epistola ad Lectorem, *De Poëtarum ineptijs & sæculi vitio.*

Laus pediculi, ad Conscriptos mendicorum Patres.

Epicedium cercopitheci defuncti, ad Petrum Scriverium.

Cento Virgilianus, ad amicum conscriptus, qui postquam ignarus cum ancilla, cum qua tum alij, tum plurimi Scholastici consueverant, aliquamdiu congressus esset, solus præter exspectationem prole ab ea est donatus.

Epistola ad Dominicum Baudium, de morte uxoris.

In ejusdem obitum Iambi ἀρχαΐζοντες, ad eundem Baudium.

Epistola ad Hugonem Grotium, de eodem.

In obitum Gallæ, Posthumi Sicambri uxoris.

Scholium, sive Hymnus convivialis in Amorem, Græcorum more.

IACOBI EYNDII

Satyra, *De miseria Poëtarum*, ad Petrum Scriverium.

Nugarum Liber, sive Ioci funebres Obitus in aliquot animalium.

Cento Virgilianus, sive Hymnus pro Arcis HAEMSTEDAE, ipso Salvatoris nostri Natalatio profesto, felici inauguratione.

FAVNVS HAEMSTEDÆVS.

EPISTOLA,

Qualis viro literato ducenda sit uxor? &, an ducenda?

V. C. IACOBO PRIMERIO DAN. HEINSIVS S.P.D. Duacum.

DElicatißimos versiculos tuos, eruditißime Primeri, his diebus accepi: quibus ne Musas quidem credo suavius quicquam aut elegãtius in Cadmi olim nuptijs cecinisse. Tum, quod pauci hactenus solent, summam à te accentuum rationem esse habitam video: quæ Gallorum & Belgarum nostrorum syllabas moderatur. Beatam vero eam Nympham, quam tu famæ & æternitati divina illa venustate traditurus es. Ferent enim annos, si quid iudico, quæcunque à tali genio condimentum acceperunt. Legi & Latinos, quorum non est minor sane elegantia. Vt mihi plane Asteropæus videaris, vere ambidexter. Nam quid ego hic de tuarum elegantia dicam literarum? in quib. cum felici acumine tersa quædam ac nativa sic conspirat venustas ac Latinitatis proprietas, ut qui merito de imitatione utriusque desperaret, utrumque tamen à natura esse libentißime concederet. Idem scio iudicabit noster Baudius, ætatis nostræ, ut tu vere, summum ornamentum. Sed leporem & festivitatem

quæ in illo viro est, præsentes tantum vident: quia maximam merentur admirationem, quæ sine cura illi excidunt. In primis vero Iambi eius cum antiquitate certant. Quicquid enim illi benignissima suppeditat memoria, carmen illud, quia proxime ad sermonem accedit, facillime admittit, neque respuit varietatem illam dictionis, quam ubique similem & uniformem reliqua quæ graviora sunt desiderant. Ut Tragœdia, & similia. In quibus severitas spectatur & maiestas. Utinam vero tam facile ad reliqua respondere possem, quam de illis tuis iudicare potui. Quia tamen vim amicam adhibes, & in re quam maxime ardua, non tam poscere consilium quam extorquere videris, age sane, morem geramus. Non ut quicquam præscribere videamur, sed ut de iudicio unius quantum est hominum amicissimi, constare tibi penitus possit. Tria sunt videlicet, de quibus quæris. Primo, utrum viro literato ducendam esse uxorem existimem. Secundo, de tua quid sentiam. Cuius tu dotem, formam, ingenium, mira ratione extollis. Et iam de singulis ex alijs non pauca audivi. Tertio, quo pacto amandum tibi existimem. Primum quod attinet, miratus sum, tamquam controversum id à te proponi, quod ipsa dijudicat natura: quæ à communi hominum conditione literatos non excepit, neque sexu quodam tertio distinxit. Quod & antiquissimorum exempla probant sapientum: quorum nemo ne in severissima quidem maximeque austera Stoicorum fuit familia, qui non barbam quoque & supercilium uxorijs amplexibus summiserit, aut in ista parte à reliquis dissenserit. Non quin celebs forte vixerit nonnemo eorum, sed quod non qua talis, aut qua Stoicus, verum quia hic adversus voluptatum stimulos præsidij à natura plusculum accepit quam ille: vel quod non tam acres sentit: vel postremo, quod amoris simulachra diligentius vitat. Id autem plurimum in hac re potest. Animus quippe noster penitus in eam conversus partem, quam præclare imperantem Plato & Stoici dixerunt, qua ad Deum immortalem proxime accedimus

cedimus & in qua supremum hominis ac proprium versatur opus, & à sensibus externis separatus, immunem à contagione ista facile se præstat, quæ ut primo se per oculos insinuat, ita parte ea quam natura rationi maxime opposuit & cuius vel pudere nos voluit restinguitur. Cui qui honeste imperare non potest, sane honeste serviat, & ad generis humani propagationem, quod vectigal omnes eius conservationi debemus, legitime accedat. Adde his infinita alia, quæ præ reliquis ad hanc vivendi rationem invitare literatum hominem debebant. Inter quæ vel primo illud loco pone, quod plerumque rebus ipsi suis & domesticis negotijs, dum alibi intentum habent animum, præesse non possunt. Qui quo est nobilior, eo cum in se est reflexus, & à curis istis sine quibus se tueri pater familias non potest, longius remotus est, eo contemplatur actius. Quod Democrito & Anaxagoræ evenit. Quorum è corpore & humanis cogitationibus, divulsus quasi ac aversus peregre dum esset animus, culta & agellos, ut antiqui docent, pecudes depascebantur. Quare in partem domus uxorcula, non illepida, non invenusta, nec lasciva tamē veniat. Quæ postquam interdiu, curas istas minimas, sed tamen necessarias, in se suscepit, noctu matronali verecundia, quam mariti amor non lubido sua aut procacitas remittit, maiores quoque abstergat, & complexibus suavissimis, morosam illam contemplandi voluptatem diluat. Non ut corpus, quod est belluarum, defatiget, sed ut maius desiderium in animo accendat: menti autem instrumenta sua integra relinquat. Quæ in corpore non vegeto non sano, aut si nimia id libido afflixerit, opus suum ut oportet, exercere, mi Primeri, non est ut possit. Iam quid suavius domum è publico aut à libris venientibus, quam uxorculæ conspectus, occursus liberorum, qui ut ex animi sententia instituantur, mature de conditione aliqua est cogitandum: tum vero, quia ætas nulla satis tuta est ab eo, quod in prima tantum tempestive fieri putatur. Turpe enim est senilis amor, ut Poëta tuus canit. Quod si urges amplius, &

*exemplum mihi non alterius sed meum opponis, neq; con-
silium à nobis modo petis, sed & institutum pro lepore tuo
nostrum serio miraris: pro me pauca loquar, o bone, & in
sinum tuum hunc animum effundam. Ego hactenus libero
lectulo nihil beatius, nihil ad Deorum vitam propius ac-
cedere putavi: in quo inter somnum ac cogitationem tota
nox dividitur, neque ad arbitrium cuiusquam aut dormien-
dum est aut vigilandum. Ex quo ipso, cum videtur, ne
libellos quidem meos intimæ admissionis amicos, excluden-
dos habeo. Quod in matrimonio unus omnium optime vi-
tare queam, & vitandum esse in primis censeo. Nullus
enim Aristoteli est locus aut Platoni, ubi stola regnum
possidet: neque quicquam magis diluit amorem quam au-
stera maritorum noctes & Musarum pervigilia. Ipsum
quoque Homerum, cum corona & unguentis, non è civita-
te, quod volebat ille, sed è lecto relegandum puto. Et pro-
fecto, cum, sive Deus immortalis, sive natura, infirmiori
illi sexui durissima omnia proposuerit, adeo ut hanc ipsam,
si quam e mariti complexu, re tam casta tam honesta, vo-
luptatem petit, gravissimis redimere doloribus tanquam
debito naturæ sit obstricta, quid tam æquum est, ô noster,
quam in comitate viri ac lubentia, aliquantulum solatij
invenire muliérculam? Animal ut imbecille ac blandum,
ita, nisi quatenus mariti amor intercedit, prope ad cala-
mitatem natum. Cum præsertim huic rei ignavissima pars
vitæ nostræ nox sit destinata. Ne cuiquam scilicet disce-
dat quod uxorculæ impenditur. Quare apage istos qui ad
lectum tanquam ad tribunal accedunt, & eodem vultu
coniugi se sistunt quo sententias pronunciant. Adde eos,
qui morose nimium ac pertinaciter Musis addicti, in sua-
vissimo illo omniumque participe corpusculo, moles libro-
rum deponunt. Nam & istos novi. Vere umbratica in-
genia, quibus nimia in literis opera, usum pariter vi-
vendi ac fructum ademit. Iam nonnulli sunt qui satis esse
existimant si virum egerint, cum plus sit maritum agere.
Quod in reliqua non tantum vita, sed & in ista quoque*
parte

*parte latius diffunditur. Itaque ubi tanquam tributum,
ius uxori præstiterunt, iterum de libris cogitant. Cum be-
nignitate potius totius vitæ ac iucunda cõsuetudine, quam
præscripta ad arbitrium naturæ voluptate, matrimonium
alatur, quæ in belluis coacta, in hominibus à ratione, quasi
condimenta quædam, delicatas accipit blanditias, à qui-
bus ipsa superatur. Mea autem alia est ratio, cui ne ibi
quidem non otioso esse licet, ubi neminem hactenus præter
sapientiam amplexus sum. In lecto videlicet. Ubi de
divinis ac humanis rebus mecum cogito, ubi tanquam in
specula positus, fori ambitionem, aulæ vanitatem neque
valde literatus neque tristis homuncio ridere mecum so-
leo, & iudicium de nobis utriusque innocentissima ingenij
hilaritate ulciscor. Interdum, ne quid mentiar, ex animo
& bona fide dormio. Video enim viros eruditos, & qui ni-
mium se macerant, raro diurnare. Quare do operam in
primis, suaviter ut vivam: unice securus, ne aut causa
excidam in foro, aut in ambitu repellar, aut in mari In-
dico bonis eluam, aut dum male nescio quis rem pro me
gerit, absens conturbem. Multo minus, ne de dote filiæ,
patrimonio filij, quotquot anni, aliquid discedat. Quos
mortales ego qui aut quales sint futuri, non novi, neque
scire adeo admodum exopto. Huius felicitatis meæ ne
fortasse aliquando obliviscar aut non satis talis mihi vi-
dear, ut conditionis nostræ nosmet pœnitet, Hagam me sub-
inde confero, ubi vultus intueor eorum, qui aut callide am-
biunt, aut sollicite litigant, aut misere excidunt. Quorum
numerum nonnunquam subduco, & quemadmodum Ro-
mani consulibus, ita annos singulos calamitate ambitionis
noto. Neque raro epigrammate aliquo omnia ista video,
quæ prudentiores ut putantur quam sum ego, sola admi-
rantur. Iam si quando studiorum, hoc est quotidianæ lectio-
nis tædium me percipit, corpus suaviter exerceo. Est in
ista urbe equus, notæ lenitatis animal, tanto robore animi,
ut calcaria & stimulos plusquam Stoica constantia con-
temnat; tam exacta autem macie & exquisita, ut pro-*

 pemodum,

pemodum, quod Maro tantopere commendat in equo, stare loco nesciat. Hunc ubi aliquantulum defatigavi, sine ullius principis benignitate, eques domum redeo, aliquanto mihi crede alacrior, quam si ab uxoris complexibus redirem. Rempublicam autem & quæcunque eveniunt in ea, eminus specto: ut & sacrum hoc bellum, quod tot annos styli mucrone geritur, veræ tantum pietatis studiosus, quam ex sacris libris & Theologis antiquis, quos non parum reverenter tracto, hauriendem existimo. Cætera autem doctioribus relinquo. Inter quos nonnulli sunt qui arcana Dei ignorare nolunt. Quasi parum sit dare operam ut salvus fias, quamquam ista nescias quæ Deus voluit nesciri. Mihi vero sufficit quod illi satis est. Disputando autem nec fortasse illi placeas, & quamplurimos necesse est offendas. Huc accedit, quod non alia ratione magis veritas involvitur quam qua plerique eam quærunt. Hæc cogitanti (& nonnunquam puer ex Bernardo aut Hieronymo aut Augustino, cæterisque viris sanctis, legit aliquid) somnus placide obrepit; nihil minus quam sollicito, ne postridie surgendum sit mane: nam ut plurimum in multam lucem lego aliquid in lecto aut meditor, si præsertim nihil sit publice dicendum. Cui rei hora una destinatur. Quæ ubi est audita, autorem aliquem in manus sumo, è quo vultu gravissimo, præterea togatus, ne tu nihil me agere existimes, aliquid interpretor. In quo aut de Hectore aut Polydamante aut de Priami maiore muris deffero. Interdum horam integram irascor Agamemnoni, quod Achillem nullo loco habeat: interdum huic ipsi quod tam graviter succenseat: interdum Orestis parricidium, Clytemnestræ adulterium accuso. Hæc qui imposuerunt nobis, nullo modo metuunt, ne arcana Reip. ad hostem perscribam, aut in ea anxie inquiram. Fieri autem potest, ut nec illis ego suam fœlicitatem invideam. Mihi vero placet hactenus professio non gravis, quæ ad alia quæ lubet cogitanda spacium ac tempus concedit. Hac molestia defunctus, domum redeo, & in omne studiorum genus animum deffundo, quibus à

contem-

contemptu olim facile, ut spero, vindicabimur. Plerumque autem in publicam bibliothecam me confero, cuius regni imperium, beneficio eorum quibus cura studiorum in hac urbe incumbit, nobis contigit. In quam simulac pedem posui, foribus pariter ac vulgo pessulum obdo: ambitionem autem, amorem, libidinem, aliaque id genus, quorum parens est ignavia, imperitiæ nutrix, excludo, & in ipso æternitatis gremio, inter tot illustres animas sedem mihi sumo: tam ingenti quidem animo, ut subinde magnatum me misereat, qui fœlicitatem hanc ignorant. Huius vitæ suavitate mirum hactenus in modum oblectatus, si fortasse quæris, quare uxorem domum non deduxerim. Ita fœlix mihi hoc quod ago sit & faustum, ut propemodum oblitus fui. Ea est vis nostrarum meditationum & illecebra. Porro, ut nemini sum autor, qui sic potest vivere, ut uxorem ducat; ita qui uxorem duxit, ei non sum autor ut sic vivat. Alia enim viri fœlicis alia prudentis mariti est ratio: tum fœminæ ambitiosæ sunt, liberi autem multis egent. Iam ad tuam venio, quod erat alterum. In qua primo omnium dotem proponis. Non puto iureiurando esse opus, ut ex animi sententia loqui me credas. Ego, mi Primeri, dotem luculentam nunquã contemnendam putavi. Cuius quidem tu opinionis meæ causam si expectas, non te ad philosophum sed aut in macellum aut ad Ianum medium abire iubeo. Quo cum adveneris, quam & quantum usum nummus habeat, sine præceptore ullo facile intelliges, cuius beneficio omnia mortalibus contingunt, præter animi bona, quæ esse alibi quærenda, non ignoras. Ad hæc quoq; cum splendorem suum Diva contulit Moneta, cætera aut confirmat aut non mediocriter illustrat. Quam & comparare ut oportet, & conferre quo oportet, materia virtutis est. Ex eodem enim dives fuit Crœsus, liberalis Simo: qui turmatim pauperes ad se vocabat, quos mox bene ac prolixe habitos, domum dimittebat. In egentes quoque, si quos norat, conferebat stipem. Qua virtute nihil dignius est homine: ut quæ nomen accipit ab eo. Eadem enim & humanitas nonnunquam

vocatur.

vocatur. Vt de magnanimitate nihil dicam: quæ cum omnium virtutum sit regina, sine opibus tueri se vix potest. Cætera vivendi quoque officia omitto, quæ sine iis vix describi à Philosophis possunt, tantum abest ut ab actionibus nonnullis queat separari. Quare qui tantopere Aristotelem condemnant, quod nonnihil ad felicitatem momenti esse in iis censet, Stoicorum autem nimiam severitatem extollunt quotidie ac commendant, & sine iis tamen frui istis quæ exoptant maxime, non posse se fatentur, idem mihi facere videntur, quod choragium in scena qui tollunt cum libenter in theatro sedeant. Nam si in contentionem cum virtute veniant aut moribus, cedant sane, si præsertim ea sit felicitas mariti, ut virtutem coniugis ac mores sua sibi dote sustinere possit: quos plerique laudant, pauci imitantur. Hoc iam dico, quam sit homine festivo dignum, ad id quod per te lubenter facias, hoc est ad complexus quoque & oscula, dote, quasi stipendio, adduci, ne vel gratis scilicet sis felix. Quo auctoramento nullum minus est molestum: sicut contra nihil est miserius quam procreare liberos, ad quos nihil ex hæreditate tua præter famem perventurum videas ac sitim. Postremo, ipsa quoque Venus cum culina fervet pariter ac friget. Secundum erat forma, Quam in tua cum tantopere commendas, risum vix tenui: hoc enim ipsum est amare. Vellem tamen, quod in primis dignum hac vernilitate fuerat, eius nobis definitionem aliquam dedisses. Nã tu maximam, ô noster, præstitisses rem, & quam hactenus Venerei nepotuli ubique quærunt. Inter quos non magis de hac convenit, quam de summo bono inter priscos sapientiæ consultos. Sed ponamus tamen aliquid. Frontem tenuem, quam nonnulli latam esse malunt: supercilium, quale Iovem olim habuisse credidit Homerus, cæruleum: oculos nigerrimos: crines summa sui parte aureoles, sed qui infra supercilio si non penitus respondent, aliquantulum accedunt tamen, quales in Bathyllo suo esse voluit, Anacreon: candorem exquisitum & quem rubor virginalis generum ille pictor illustret potius quam pingat: osculum angu-

stum

stum, quod rubente utrinq; labellorum purpura distinctum, dentium candorem quoque plurimum commendet. Nares sursum leniter inflexas, sed quæ à Socraticis quamplurimum recedant. Vescum corpusculum, & tamen solidum ac succi plenũ: quod nec mole carnis brachia amplectentis oneret, neque exhaustum plus æquo offendat. Papillas autem, parvas quidem illas & quæ orbe modico cohibeantur, instar vero marmoris, ut est apud veterem poëtam, consistant. Ne iam cætera hic tangam, quæ natura tegi maluit. De quibus vos, præclari scilicet astrologi, ex ingenio vultus, oculorum radiis, circumductione oris, sciscitari soletis. Quid enim non poëta possunt, qui Dis ipsis dant quod ament, & cœlestes vultus non inveniunt sed formant? Quis non in imagine aut statua hæc malit, quam in coniuge? Quæ cum uni placuit, tam facile aliorum iudicia quam pudicitiam tuetur, & si recte est morata, vultum minus elegantem cætera aut emendant aut absolvunt. Illa vero, quæ cum prodit aliorum in se oculos convertit, etiamsi sit pudica, semper habet quod excuset aut metuat. Quippe quæ suspicionis causas publicè circumfert, cui in formosa quidvis factu est. Huic adde aliud naturæ arcanum, quod in florido corpore & succi pleno, multa quoque copia luxuriat spirituum, quam pruritus acer & in Venerem lascivia consequitur: Hanc vero alia non pauca, quæ cum viri eruditi rationibus haud multum, mihi quidem, mi Primeri, facere videntur. De nobilitate sequebatur aliquid in tuis. Quæ, ut rectè Aristoteles, virtus est generis, non nostra. Quare in te quoque eadem si sit, non dissuaserim ut eius rationem habeas. Sin autem, memento esse onus, nisi auro aut agilitate redemeris. Semper enim eam æstimant feminæ: in matrimonio autem, etiam maritis imputant. Ne iam de putiditate sexus dicam. Quod perpetuo cum tædio virorum, avos suos atavosque narrant & loquuntur. Verum de ingenio iam videamus: quod tu tum in iis quas ad me dedisti literis, tum in versibus mirifice extollis. Scribis, memoriam illius esse summam, admirabile iudicium, in-

credibilem

credibilem solertiam, ingenium autem supra sexum, quod prope in stuporem quemlibet abripiat. Martialis quoque versus plurimos tenere, quos inprimis scite ac commode suo quemque loco expromit. Quare servitutem novam crescere in dies, & amantium plena esse omnia, cæteraq; quæ tu disertissimus virorum pleno ore prædicas. Neque enim metuere videris, ne quod fieri nonnunquam solet, fidem habere tibi incipiam, & rivalis transmarinus fiam. Ante omnia autem subijt mirari, quod tam accurate omnia diviseris, ut qui nihil in illius commendatione præter unicam virtutem mihi quidem præterire visus es. Sive quod hoc totum nunc rusticitas vocatur, sive quia vos Poëtæ cætera libentius extollitis, virtus autem non tam lepide laudatur, neque semper belle dicitur in carmine. Adde quod qui versus Latinos scribunt, temperantiam ac castitatem, primas fœminæ virtutes, in elegis ubi ponant non inveniunt: reluctantur enim syllabæ. Ut tam male vobis cum honesta fœmina, quam poësi vestræ cum illius convenire moribus videatur. Iam vero, de parentibus nihil, nihil de amicis ac propinquis, quæ præcipue spectari solent: neque sine causa, si quid iudico. Primo enim plurimum ad dignitatem tuam ac fortunam interest, quales sint ipsi, si præsertim ad maiora, quod virtute tua dignum est, aspires, tum ad hoc negotium, quid æstiment aut spectent. Ne tu quemquam eruditioni tuæ aut ingenio favere existimes, cum paucissimi sint tales: hoc præsertim sæculo, quo plerique [illegible] collybo [illegible] habent nummus. Permutatio enim instituitur in nuptijs, quæ est emptionis species. Ætatem quoque addis. Annum undevicesimum iam attigisse, qui est flos ipse. Et educationem. Aliquamdiu in Gallia vixisse. Sed, ut dixi, de ingenio iam videamus. Quid quæso non aut æstimet si adsit, aut non optet vehementer si non adsit? Omnes enim atque id spectamus. Et in primis inter eos nomen semper sum professus meum. Neq; hoc ignorare potes, si versiculos legisti nostros, qui iam annos aliquot multorum in manibus teruntur. diu est enim cum fregerunt claustra. Addo, sicubi ingeniosam

video

video aut eruditam fœminam, magis admirari me quam si virum talem videam. Sed quandoquidem neque semper agimus poëtam, neque ingenium per se consideramus, quid si ego, serio nunc tecum agam, & nugarum omnium oblitus, rem ut habet ordine examinem? Primo autem omnium, si iubet, vide, ne quod tu ingenium nunc vocas, & tantopere extollis, alij protervitatem dicant merito aut petulantiam. Quam nec damno prorsus, quanquam nolim quidem (sed quid agis sæculo invito?) Novi quoque citra famæ aut pudoris labem multas esse tales aut fuisse, sæpe autem immutari post Lucinam & familiæ molestias. Nec ego Sabinam aliquam nunc laudo, & quæ pondus supercilij pro dote adferat ad virum. Verum hoc potissimum nunc quæri arbitror, qualis literato homini conveniat, aut ut propius accedam, tibi. Non enim quælibet honesta quemadmodum quæ tibi non conveniet, ideo inhonesta non erit. Absit sane omen. Ut si meus calceus pedem alienum urgeat. Quicquid autem est dissimile aut nimium, in Rep. seditionem, in familia molestiam creare solet. Pulchritudo quoque, & opes, & nobilitas. Quia cum superiores horum aliquo sunt fœminæ, omnino se superiores esse arbitrantur. Hinc imperium affectant in familia, sicut cives in Rep. Ideoq; mediocres in Rep. tantopere laudantur: nam nec causam dant seditionis, & ab urbe eam facile avertunt. Tranquillitatis enim fundamentum simul mediocritas est & res media. Eodem autem modo viri imperium transfertur in fœminam, quo regis ad populum. Tamē de ingenio quandoquidem nunc agimus, velim primo omniū respondeas, quem tu eius esse usum in fœmina statuas: ne nunc aliud agamus. Nihil enim frustra esse expetendum nosti: & ad finem suum omnia esse referēda, homo doctissimus nescire nō potes. An ut in senatu sententiam dicat? An ut versum æque elegantem ac tu scribat? Nihil horū credo. Ergo aliud in senatore, aliud in patrono, aliud in poëta vides requiri. Et hoc ipsum cui id requiritur, opus singulorū dicimus. Sicut aliquod est equi opus, aliquod hominis, aliquod patris, aliquod mariti.

Et

Et in homine aliquod oculi, aliquod pedis est opus. Hoc tu
forte existimas, choreas venuste ut ducat, facunde de sin-
gulis differat, subito & præter expectationem respondeat:
versiculos Martialis commode & suo loco expromat:
schacchiam, quam dicunt, aut aleam ex arte ludit, convi-
violum lepore suo condiat, voces liberiusculas prima exci-
piat, prima intelligat, prima oculis retorqueat, nictet, ar-
gutetur, annuat. Nam hæc nostras Veneres commendant:
neque parum nos, ut verum fatear, oblectarunt semper. Pri-
mum igitur, Primeri noster, vide sodes quam nunc tecum
agam candide. An tu quicquam aut Gnathænæ aut Gly-
ceræ aut Phrynæ defuisse putas horum aut Laidi? Qua-
rum argutiolas non paucas & venusta dicteriola, libro fere
integro recenset Athenæus. Quæ si tu percurras, metuo ne
tua parum tibi iam ingeniosa videatur. Vt omittam, plu-
rimas earum mirum in modum literis fuisse instructas.
Dices, At qui quæstum corpore fecisse has quidem constat.
Hoc est quod volebam. Paucæ enim sunt, quæ quantum
non licet intelligunt: paucæ, quæ non admodum angusto li-
mite virginem & imminutam distinguunt. Cæterum quod-
cunque aut dicant aut faciant, parum interesse existimant,
nec referre putant quibus moribus sit casta. Sunt igitur in
ea urbe in qua tu amas & dotatæ plurimæ & honestissi-
mæ, quibus nihil potest obijci quam quod plusculos in ædes
admittunt, aliquos in animum, quod fit crebra consuetu-
dine: in quibus nihil tam immundum, quam quod sunt in-
geniosæ: quas plerique accedunt, non ut ament, sed ut se
oblectent. Quis enim non vernilitate ista capitur? Neque
sane mirum est, homines forenses aliosque, qui postquam
paria cum vita munijs fecerunt, quærunt ubi se oblectent
aut molestiam deponant, non severas neque graves sed ar-
gutulas sectari. Quam virtutem ideo in vernis magis quam
in liberis Romani amabant. Illæ vero hercules, quantum-
libet versutæ, ne hoc quidem vident, non amari se sed de-
lectare. Quare sperant semper & fastidiunt, ii que vi-
cem ludunt alios, ab alijs luduntur. Igitur si interim con-

ditio se offert, & honesta neque indigna de qua serio cogi-
tent, si præsertim literatus sit homo (tum hic tua res agi-
tur) ubi omnes illi, sæpe inepti ac putidi, & qui literas
non norunt quas oderunt, ideoque grati sunt, in consilium
vocantur: aut ultro se ingerunt. Similes autem cum si-
milibus facile congregantur. Solis quippe ijs artibus puel-
larum obstrictos sibi habent animos, quas vel qui procan-
tur serio non discunt, vel qui didicerunt, iam mariti, ma-
lunt oblivisci, etiam si non coguntur. Interim ætas labi-
tur, occasio perit, discedit forma quantum ad annos acce-
dit. Alibi plus licet. Voces liberæ, oscula obsceniuscula,
colloquia oculorum, motus impudici, contrectationes pa-
rum verecundæ, papillarum oppressiunculæ, etiam expe-
tuntur: quæ spectari hodie se gaudent, & amantis oculos
lacessunt. Hederam suspensam dicas, vinum venale esse.
Gustus datur. Cætera quid? Inter bonos bene agier opor-
tet: fere promittuntur. Si qua minus sibi fidit, carbaso te-
nui sororiantes leviter obducit, ne restinguat desiderium sed
acuat: ut si fusca cutis expectationi non respondet, velata
tamen amplius promittat. Sunt quæ feminalibus Gallo-
rum more utuntur, quæ necessitati, ne solvantur quoties
natura id flagitat, utrinque patent, quod vel consuetudo,
vel usus, vel nonnunquam valetudo excusat. Neque sane
hoc reprehendo, & nihil hodie est usitatius. Sunt quæ pe-
nitus ut nos braccatæ incedunt, atque ita mane cum è lecto
surgunt, spatia exemplo nostro aliquot conficiunt, quibus
amiculum & tunicam tandem invitæ induunt: iratæ
scilicet, quod non se quoque mares fecerit natura. Ideoque
sexum suum fugiunt, viros imitantur simul & exburiunt.
Nam quid ferrum illud dicam, quo honestæ etiam utuntur,
quod cum vestem supra alvum ad posteriora pariter exten-
dit, si quid latet illic facile dissimulat, & virginitati lepi-
de patrocinatur: dignum hoc tempore instrumentum, quo
celamus flagitia non fugimus. Ne iam de libellis quicquam
dicam, quos in sinu gestant, & quotidie alios atque alios,
aut poscunt, aut si dentur non renuunt. Quibus dum libido

puellaris non ab uno accenditur, nos ab uno restingui posse putamus. At plerique etiam festivitatem hoc vocant aut iocum. Quasi vero non iocando maiora quoq; fieri soleant, aut severum sit hoc opus quo virginitas minuitur. Sed corruptus nimia licentia fœminæ animus, quo præsidij in ratione minus habet, eo si impellitur ad lubidinem acrius accenditur, cum præsertim ab ingenio scintilla accedit & ab educatione addita libertas, qualis est plerunque transmarina. Hinc querelæ connubiales, si suspicosi sint mariti, aut si à cura uxoria omissiores sint paulo, primum ingratæ, mox invisæ quæ per somnum transiguntur noctes. Hinc sine caussis odia, sine occasione simultates. Si quid postulet maritus, torva ipsa & severa: hospes si excipiendus sit, garrula ac morosa. Quæ res generosæ mentis planè est intoleranda. Vt enim reliqua omittam, Postremo nisi palleat vir quantum volunt, aut si incubit aversus, ad vicinum itur. Sensim enim eo ac per gradus deveniunt. Primo quippe altero à viro, nihil maius adhuc audent. Cæterum ubi semel honestatis transisere limitem, vel audaciam à successu, vel à scelere ipso, si sit manifestum, sumunt confidentiam. At Poëta noster optimus ac disertissimus, canoros versus meditatur aut securè stertit, vel Tibullum suum & Nasonem cuculus percurrit. Interea

Speluncam Dido dux & Troianus eandem
Deveniunt.

Nam hoc totos dies audiunt. Ridere autem vitia & in vitijs ridere, primus ad peccandum gradus & supremæ simul sæculi licentia est. Neque, si verum volumus fateri, desipiunt profecto fœminæ quæ cum viris aliorum alios ridere probra sentiunt, universos ipsæ furtim deludunt, & hoc unum agere videntur, ne benigna illis desit materies rocandi. Illos non ingrato tantum sui, quod occulte rem gerant, sed iudicio quoque nostro absolutas se vident. Hæc tu verba esse existimas & voces: ego novi aliquot qui credant & tacent. Vt de reliquis nunc nihil dicã, quæ dam genere optimo prognatam, quæ non ita diu est ad plures cum discessit.

Is tersos

Is tersos adeo, adeo elegantes ac Latinos, mi Primeri, versiculos scribebat, nihil ut toto vitæ tempore egisse aliud aut cogitasse videatur, cũ in plurimis unus excelleret. Vocatus autem quodam tempore ad convivolum cum esset, evenit ibidem puella quoq; ut esset, mire arguta ac venusta. Myrothecium Veneris, leporum omnium ac elegantiarum meram effigiem, homo factus ad poesin dixisses: vultu autem ita festivo ita eme dato, nihil ut amari supra à quoquam possit. Accedebant oculi (Dij boni quales?) voluptate ac illecebris plenissimi, aucupium amoris. Osculũ præterea exiguum, quod vestibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem tuo more in carmine vocares. Iam vero in choreis pedẽ si quando poneret, præter ipsam artem ita lubrice ac agiliter saltare erudita, singula ut membra non moveri sed natare aut fluere diceres. Hic quid faceret, primum adolescens, tum quod rei erat caput, poëta, benigna in amorem materies & prona? Primo scribere versiculos, mox amore eius deperire cœpit. Quid multa? Ambit, & post menses aliquos exorat; homo opulentus quidem satis, sed qui durum imprimis & illepidum in liberos parentem haberet, novam matrimonij crucem & calamitatem. Cæterum, cũ & ille aliud ageret, illa aũt virum in lecto non Poëtam in carmine desideraret, cœpit et cum vicino quodam homine vilissimo sed robusto admodum, belle convenire. Interea optimus ac ornatissimus vates, Iliada & Vlyssea totos dies cantillabat, aut fortasse divæ Castitatis hymnũ scribebat. Τὸν δ' ἀπομειβομένη illius coniux, in alterius amplexib. diligenter versabatur.

Nec misero prodest: in tali tempore quibat,

Quod elegias tersissimas scribebat, & alternos versiculos Ovidiano more (nam religiose id quidem observarat) duarum syllabarum oculis clausisset. Noctes autem quoties suæ suavo peteret maritus illi, ut plurimum, cunctando, & lenonia difficultatis arte, honestatem suam quã prostituebat foris, apud virum tuebatur. Et autem tædio ignavia illius non pudicitiæ amore fiebat, quæ unius viri obsequio in matrona censetur. Ille interim, si quando cum amicis animum

remitteret,

remitteret, cum præsertim aliquantulum maderet, de pudore coniugis & castitate, totos dies peierabat: sæpe ne absente quidem illo, qui mensuram corporis illius iuxta ac maritus cognitam habebat ac perspectam. Multa in illo iuvene convenerant, quæ coniugij serenitatem singula turbare poterant. Meditationibus assiduis neque dies neque interdum nox ponebat finem. Quemadmodum avarus fœnori, ita horas omnes & momenta cogitando aut scribendo destinabat. Iam incredibilem vigorem animi ætate prima ad lubidinem appulerat. Quo hoc consecutus erat, ut ex illo pristino ardore, nihil præter vitæ cælibis impatientiam reliquum haberet: cætera coniugij præsidia, & inprimis illud maximum, ante coniugium consumpserat. Quæ res, optime Primeri, sicut corpus, ita animum disiungit atque avertit. Itaque in præsenti re cum versaretur & tam viro esset opus, continentiam aut temperantiam plerumque laudabat, & ut hoc uxori persuaderet, è Platone suo multa & Aristotele de summo bono & intensione mentis adferebat, animo paratus miles, sed quem aliqua (quod fit cum ætatem libido anteverterit & mox deserit) calamitas attigerat. Interdum quoque locum aliquem Pollucis aut Festi felicissime à se emendatum, pueriliter propemodum cum gauderet, ne hoc quidem gaudium apud coniugem dissimulare poterat. Cæterum matrona venustissima, quæ in Aristotele ac Platone nihil unquam legerat, de acumine quoque & sagacitate critica nihil audivisse videbatur, unius loci emendationem serio optabat, quem corruptum esse, ne ipse quidem summus criticus & optimus poëta ignorabat. Sed invita Venere & Minerva nihil fieri solere nosti. Prima autem nocte, cum hilaritati & Lyæo patri indulsisset plusculum, quod nec recte nec ordine à quibusdam fieri video, illa autem pro virginitate, ut putabat & ut mos est puellis, ultimum certamen cerneret, ibi vates disertissimus, qui tam sæpe Hymen Hymenææ apud collegas suos legerat, aut ipse scripserat oblitus oris purpurei, cuius laudes decantaverat, oblitus genarum quas cum nivibus ac

minio

minio toties contulerat, cæterorum omnium oblitus, quæ referre mora est & adhuc in eius carmine leguntur, nihil quidem se indignum fecit, sed dormire cœpit, totamque quanta fuit noctem bene ac pudice, nemini molestus aut gravis, transegit. Mane autem, aut, quia de poëta loquimur, ubi

Purpureis formosa genis Aurora ruberet,

cum nullius sibi conscius facinoris esset, & inertiæ puderet, audisse se aiebat, cum dolore calculi solere eam conflictari, cui omnes agitationes corporis in primis esse adversas. Id ex doctissimo viro Hippocrate Coo se habere. Ea re commotum, adversus animi lubidinem illa se abstinuisse, quippe qui illius valetudini consultum vellet. Atq; ita vir summus, neque tamen maximus Astreæ sacerdos, duo præcipua iuris præcepta una nocte expresserat. Nam & vixerat honeste, & neminem læserat. Suum autem cuique an reddidisset, quæri poterat. Mucius, ut reor, & Trebatius negassent. Idem autem & uxori eius videbatur. Quæ pertæsa tandem huius consuetudinis, domi eruditas, alibi festivas noctes agitabat. Poëtas autem omnes oderat & torvo intuebatur vultu,

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei.

Me quoque inter eos, quoties ad virum eius ventitarem. Quasi vitium in carmine, non in matrimonio fuisset. Ad Martialem quod attinet, scriptor tersus, elegans, venustus & acutus est. Quæ in eo autem spurca sunt, improbitate & flagitio utilitatem quæ e reliquis percipitur excedunt. E quibus nonnulla sine horrore & abominatione ab honesto viro legi non posse iudico, tantum abest, ut in fœminarum manibus absq; detrimento morum versari posse existimem. Ne iam dicam parum esse in eo quod ad proprium matronæ munus faciat: id enim à poësi, nisi fallor, longissimè recedit. Adeo ut ego ne Sapphonem quidem, hodie si superesset, cum præclaro suo sibi ingenio ambirem, quamvis eius qui de multis pauci hodie leguntur versiculi, ipsum mihi suavitate sua animum excutiant. Phaonem enim, aut si

viri

viri nulli essent, Sicelidas timerem. Hoc quippe ingenio profecit, ut nequitia illius sexus noster non sufficeret. Timerem autem, ne si coniugem quæ nihil esset quam poëtria duxissem domum, prandendi quoq; mihi & cœnandi versus essent, aut ne liberi communes immunditie perirent & illuvie, aut Poëtæ potius quam boni cives fierent. Quæ omnia profecto re & usu distinguenda sunt in vita. Paucissimi autem ex iis sunt quos Musæ totos vindicant, qui ludibrium non debent cum à libris recedunt, ne tu aliud à fœmina expectes. Quare ut Aristoteles, alias in servo, alias in domino, alias in fœmina requirit virtutes, ita mihi alia amica alia placeat coniux. At Poëtæ, postquam in Propertio Cynthiam, in Tibullo Deliam legerunt aut Nemesin, quas prostituisse formam confitentur etiam qui laudant, easdem carmini & vitæ suæ convenire arbitrantur. Dignissimi mortales, qui tam castas habeant uxores quam eorum quos sequuntur dominæ fuerunt. Itaque non raro evenire solet, ut quo quisque est eruditior, eo magis sub imperio uxoris vivat. Neque mirum. Nam quemadmodum Lacænæ, quod est apud Aristotelem, dum in castris degerent mariti, ius eorum & autoritatem sibi vindicaverant, ita istæ viris absentibus familiæ imperium invadunt. An tu autem domi esse censes, qui nunc in Homero, nunc in Seneca aut in Platone (novi enim qui sic vivunt) semper habent animum, qui nunc Romæ nunc Athenis, aut si ad recentiora animum dimittunt, in Britannia aut Gallia aut India vagantur, atque adeo, si nihil legunt, tamen in Parnasso aliquo aut Helicone aberrant, & præsentes etiam plerumque absunt?

Qui mihi ubi ad uxores ventum est,
tum fiunt senes.

Unde fastidium primo, mox contemptus, si præsertim sint dotatæ aut liberius eductæ, quales vos ut plurimum sectamini. Ita sæpe evenit, venuste noster, ut dum isti vestri, sapientes sane ac eruditi homines, infrequentes sunt ad signa, illæ quoque neq; inelegantes neque inficetæ, alibi stipendia faciant.

faciant, vosque publica nomina & ubiq; notæ, ne privatas quidem subinde uxores habeatis. Aut si sint honestæ, etiam amaræ sint & viro graves. Neq; sine causa. Vos enim nihil præter numeros & pedes cogitatis, illæ autē pessimæ, pedes in lecto volunt tolli. Quare ut festive & improvide amatis, ita sæpe uxorem ducitis. Cum nihil magis serio agēdum sit quam quod postea mutari non potest. Ergo ubi semel iugum boni viri tanquam boves aut equi subiistis, culpam ipsi vestram, sed cum emendari iam nō potest, agnoscitis, ideoq; quicquid committitur ab illis, toleratis: tam ridiculi mariti, quā faceti amantes. Nempe quia placido ingenio estis, & præsertim si quis adsit, rixa fugitantes. Obstat enim pudor, qui in illis iam decoxit. Præterea arreptum semel imperium non armis sed perversitate muliebri, quod est multo efficacius, tuentur. Nam ubi semel virilibus intentæ negociis cœperunt esse, quæ à vobis negliguntur, iam feroces animo, paulatim fœminarum exuunt virtutem, quæ est viri reverentia. Vos autem alia dum agitis, prius periisse eam quam perire vobis animadvertitis. Quomodo sæpe in Rep. imperium mutatur. Hoc est grande arcanum illud, quod interdum ἐκ παρολιγωρίας, interdum παρὰ μικρὸν dicitur ab Aristotele. In familia autem, quod de civitate dixit idem: nihil refert, utrum mulieres imperent, an qui imperare debent, mulieribus pareant. Vides causam, quare minus commodis uxorib. utantur eruditi aut cur serviant. Nam ut in Rep. industria imperiū servatur, ita negligentia amittitur. Eodem autem modo hic. Negligentiam nunc voco, nō quæ nihil agit, sed quæ aliud aut cogitat aut curat. Quare sæpe miror, reges quosdam impotentes aut tyrannos, usu literarū interdixisse suis, ne imperium invaderent, sicut Iulianus ille, qui hoc alibi in Aristotele viderat. Ego sane rex si essem aut tyrannus, optarem ut omnes versus scriberent, aut Philosophi aut oratores essent, denique in legibus aut astris ut animum haberent. Nam & animum enervant illa, si sint nimia, & occupant, neq; facile dimittunt. Fraudem præterea nec cogitant beati illi nec intelligunt,

&

& facillime imperium ferunt. Nisi si qui sunt qui eum modo & ad usum illa didicerunt, aut qui ad imperium nati sunt, aut generoso sunt supra cæteros ingenio. Quidam enim tantum ad libertatem nascuntur. Reliqui nec ambitiosi sunt, & plerumque honesti sunt viri, aut opinione sua sese & studijs oblectant. Ideoque nunquam pictum aut fictum aut scriptum in historia invenies, virum eruditum cuiquam imperium eripuisse. Multa quoque millia inter Stoicorum regem & libertæ intersunt. Contra vero nostri ne in famulos quidem semper inhibent imperium, imo nonnunquam id ab illis sicut ab uxore extorqueri patiuntur. Mihi ergo matronale ingenium prius in puella placeat, ut mox in matrona probetur. Ac optarem quidem hilarem, non enim nego, ac festivam potius quam gravem ac severam, ut nimirum habeat mens nostra, cum ad se redijt, ubi se oblectet. Sed si illa virum dedignetur eruditum, proba saltem veniat ac casta. Quæ si ante nuptias in matris gremio paucis nota, honeste educata est: postquam autem in amplexus viri bono cum parentum omine transivit, rem quemadmodum oportet domesticam tuetur, domi sæpius quam alibi conspicitur (frons enim dominæ quam occipitium familiæ plus prodest) marito morem gerit, & quousque satis est pudicam, etiam delectat, liberos cum cura educat, ancillis imperat, culinæ præest, in mensa autem vultum ante omnia lubentem ac serenum, tum vero fercula, quæ mundicies commendat potius quam apparatus, cum iudicio apponit; si quid minus verecundum (nam his moribus nunc vivitur) ab hospite dicitur, aure neque prona id excipit, & facilius erubescit quam respondet; de ingenio, mi Primeri, & hilaritate ista gratiam illi faciam, & hanc laudem huic homini servabo: illi autem obsequendi gloriam relinquam. Quantulumcunque enim in nobis est prudentiæ, utrique sufficiat oportet: sicut in Rep. regis prudentia & ingenium populo sufficiat necesse est. Cuius, teste maximo philosophorum, virtus est ut bene opinetur de superioribus, quemadmodum uxoris, ut quam optime de viro. Cæ-

tera

tera autem ei ut relinquat. Etiam prudentiam. Quæ est virtus imperantis. Maritus autem eius semper respicit utilitatem quæ paret, quemadmodum & pater. Eius enim causa imperat, sicut contra herus non servorum proprie sed sua. Memoriam quoque magnam quidem illam, non magnopere requiram. Non enim nomenclatorem quæro, sed uxorem. De cuius bono nunc agitur. Suum enim est cuique, quod laudabile unumquemque reddit. Viri virum, servi servum, fœmina fœminam. Cuius præcipuum est temperantia. Quæ per se in fœmina spectatur & ad fœminam refertur, sicut cætera ad eum in quo sunt perfecta. Memoria autem & ingenium perfecta sunt in viro. Id enim eius actiones requirunt, quæ sine illis perfici non possunt. Tales autem raro fœminæ incumbunt, & in ijs satis est maritum si sequatur. Neque enim imperat, sed paret. Non ut servi (ne hoc Di sirint) verum suo quodam modo. Sicut quodam modo patribus filij. In quibus eadem cum requiruntur, tamen perfecta minus sufficere putamus. Hoc est, ut monentes intelligant, non autem ut monendo præeant. In matrona autem nisi temperantia sit absoluta, tantum illi deerit quantum huic deerit virtuti. Quod profecto dici de ingenio non potest, nisi prius quale esse debeat matronæ, definias. Hæc tu esse philosophica dices. Sane non sunt poetica, sunt enim vera. Et tamen eadem in vestris invenies. Quis enim ante eos sapientiam tractavit? Vide Euripidem, quem fuisse fœminis infensum volunt, acerrimum censorem in his talibus. Vide quæ Andromache in cognomine eius fabula ait. Quantum est Musarum usquam, omnes me oderint, nisi sæpe deperij eam, & Troiano Hectori conditionem suam ter millesimo post anno gratulatus sum. Ita paucis verbis matronale ingenium expressit. Vide quid apud ipsum tragœdiæ regem Tecmessa Telamonis ille filius præscribat. Non ut lepide loquatur, sed ut multum taceat. Dices, servijsse hanc quidem. At in libera hoc probat Aristoteles, & virtutem fœminæ vocat. Cuius proprium si quæris opus, versiculos, mi homo, aliquantum tuos, suaves

quidem

quidem illos ac venustos, sed ab instituto isto nimis quam alienos è manibus depone, mox si lubet resumpturus, dum quæ Perictione & Phyntis Pythagoricæ matronæ hanc in rem scripserunt, diligenter legeris. Moriar, nisi cœlestes illas fœminas continuo amabis. Quæ non ut puellæ nostræ, balbum quid & peregrinum, sed quemadmodum novisse te existimo, Doricum ac sibi proprium sermonem loquebantur, quo & scripserunt. Vide & apud Xenophontem nostrum Socratem quid dicat, de familia cum agit. At, ingeniosam, inquies, amplecti malo. Et, hac maior est voluptas Fortasse. Neque enim adeo ex amœnitate exarui, omnia ut negem. Sed quantilla hæc voluptas est! Quam ἀποπληξίην μικρὴν Democritus dicebat. Verum vos ætate illa prima, miras fingitis imagines.

Forsitan & sylvas illic lucosque Deorum
Concipies animo, simulachraque ditia donis
Esse.

Adde quod è cella aut suburra aliquam in ea arte magis eruditam dabo, cuius nihil præter ignorantiam in virgine laudatur, &, ni fallor, etiam simplicitas delectat. Ita enim illi vestri, nuptialia cum scribunt, & congressum illum, primum Diis atque hominibus invidiosum faciunt. Cogita enim mihi innocentiam illam, quæ è matris lectulo & complexibus ad virum cum transit, diversum aliquid ab eo suspicatur potius quã novit. Cogita lacrymulas illas, quas ut venustissimus loquitur Poëta, certatim thalami intra limina fundunt. Quæ sive sunt veræ, gratissimam simplicitatem arguunt: sive matrum gaudia, ut ille loqui amat, frustrantur, mariti quoq; amorem vehementer acuunt. Cogita tenerum ruborem illum, pudicitiæ fideiussorem, qui ad nomen nuptiarum una cum lachrymis subinde invito quoq; vultu prorumpit, & integritatem animi non tam indicat quam fatetur. Et id genus alia quæ vos melius. Satis enim est, si talia esse intelligas nonnulla, quæ hoc sæculo quo ignorantur, ipsum adhuc carmen commendant. Tum diversa esse quæ amatis & ignari extollitis. Da mihi enim aliquam ex istis

ex istis quas festivas aut ingeniosas vos vocatis, quæ eodem vultu alienas spectat nuptias & suas, thalamum cum risu petit, matri blandum illud & supremum vale, lepide ac argute dicit, totum vobis, ô Poëtæ mei, illud artificium periterit. Quod ne quando eveniat, etiam mentiri soletis. Denique observastine unquam, quam diversa ratione Lesbiam illam suam & Torquati sponsam Catullus tuus descripserit? Quarum altera, mulier ingeniosa, nosti in triviis & angiportis quid faciat. Nam nec meminisse est honestum. Altera, quo ingenio ac memoria nescio (non enim constat) uni viro destinata, eo frustra expectante, moras nectit, cunctatur, trepidat, thalamũ reformidat. Postremo.

Flet quod ire necesse sit.

Et,

Tardat ingenuus pudor.

Et similia nonnulla, quæ mirifice nos capiunt. Diu est enim cum purissimum Poëtam illum & Romanæ linguæ optimum autorem, studiose legi. Sed ut cætera omittam, scin tu, amatorem quantum vivit usquam lepidissime, adventurum illud tempus, cum ut coniugem, mox etiam ut matrem, amare incipies: cum intelliges uxorem esse dignitatis nomen potius quam voluptatis: cum ex utero illo, qui nunc ineptissimarum cogitationum scopus est, tanquam è penula quadam festivissimum hæredem depromet tibi: in quo matris pudicitiam, patris ingenium ac vultum, maxima cum voluptate agnosces? Siquidem hoc ipsum, patri ut sis similis, à materna castitate non ab ingenio est expectandum. Scin futurum illud tempus, cum papillas geminas gemellas illas, quas nunc orbes gemmeos, nunc colliculos suavissimos, & si ita videatur, navulos (quid enim non audetis Galli?) in carmine vocare soles, non in voluptatem tuam sed domesticam necessitatem nudabit? Cum sanctissimum illum fontem, hominis educatorem, qui concretus è paterno primum semine, è materno mox & animo & corpore decurrens, ex utroque trahit non pauca, ad tuorum ingenium conferre incipiet,

incipiet, & qualis est ipsa, talem Primeriolum formabit nobis. Ne tu frustra quicquam naturam fecisse existimes, quæ diu antequam poëtam daret aut philosophum, hominem produxerat. Postremum est, quo pacto amandum tibi censeam. Quod cum risu, ut superiora, legi. Serum quippe est si amas. Neque enim magis quomodo amandum sit intelliget qui amat, quam quo sit eundem qui iam usum oculorum amisit. Sed nec illud petis, quibus artibus conciliandæ sint puellæ. Nam hoc Naso melius docebit. Nulla enim hic philosophia est opus, sed prudentia. Totum enim ex ingenio illius dependet quam elegisti. Quæ si talis, mi Primeri, est, qualem esse è tuis coniecturam facio, & ex aliis non semel audivi, ideo enim hæc moneo liberius, habes quod agas licet versiculos non scribas. Plane enim non tu quidem in Charibdi sed suavissima Sirene laboras. Quippe, quemadmodum Homerica illa, Vlyssem protenus advenientem, & πολύαιμον, & μέγα κῦδος Ἀχαιῶν vocant, ita ista, ignem tuum si exponas, & beatam esse se honore tanto, &, si voles, etiam indignam, fatebitur. Quidni enim, viro tali, tam eximio poëtæ? Tum si quicquam tibi detrahas, illi attribuas, negabit universum fœminarum sexum tanti esse quanti vos putatis. Id imponere plerumque vobis. Illis autem ea ratione plusculum accedere animi. Iam ut aliquod ingenii argumentum fuerit quærendum tibi (scire enim se, cessare vos non magis posse quam hoc cælum à quo ducitis originem) alias sane esse quæ non paulò plus merentur. Se quoque, qualiscunque sit tandem, parum interesse quin iam melius sentire de se ipsa incipiat: non tam suis sibi meritis, quam quod tali viro non displiceat qui tam multis placet. Hic, si te sat novi, ægre temperabis tibi quin epigrammation effundas, & fortasse hoc ipsum modestiam vocabis: interdum enim stulte ineptimus. Hoc reginæ vultu amœno, cupidissimo admittet animo. Quin si præmium ab ea basiolum efflagites, id vero illa reluctando

paululum, mox proditione sua sibi sensim expugnata, oculis natantibus & in ipso prope amplexu liquescentibus, concedet tandem. Hinc iam prima mali labes. Habet, tenetur Poëta noster captus est.

Interea Libyæ magnas it fama per urbes,

advenisse doctum nescio quem hominem,

Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido.

Idque non nolente illa. Ea enim ratione omnium iudicia aucupatur. Ergo,

Heu vatum ignaræ mentes,

Primi omnium conveniunt proceres, delicata ac fastidiosa natio, qui, ut in antiquo est carmine, præter propter vitam non in ipsa vivunt, & agendo nihil admodum defatigati, à rumusculis quotiscunque otii vindictam simul ac solatium petunt. Ibi in vivendi rationem, in ingenium, in studia miserrimi amantis inquiritur. Nam amicus aut propinquus, nulla fides nullus hic locus est. Symbolum quisque pro se affert, quisque sententiam exponit. Inter hos quoque Iarbas sæpe unus est aut alter, cuius in animo repulsarum cicatrices adhuc manent. Qui in primis sua interesse arbitratur, idem tibi ut eveniat. Et hoc totum nunc agitur. Consedere duces. Post hos advocantur Patres conscripti, quibus infra umbilicum & supremum femur omnia plana sunt, procaces ac dicaculæ puellæ, quarum aliæ nihil præter cristas somniant ac galeas, & in tanta spe pacis ferrum tamen amant, cuius ad mensuram noctis gaudia disponunt. Aliæ forma corporis ac modo amatores inter se contendunt, neque eos æstimant sed metiuntur, cæterum quo quisque specie inanium plus valet, eo magis antefertur. Aliæ fasces ac secures, meras denique Respublicas loquuntur. Aliæ fratrem habent aut affinem quem prælatum tibi mallent,

Omnes hæ metuunt versus odêre Poëtam.

Quid expectas? Narro tibi, ipsæ, si Dis placet, literæ periclitantur, quarum è suffragiis Senatus populique tunicati, tota dignitas iam pendet. Alii Philosophum, alii Poëtam,

tardum alij aut taciturnum dicunt. Erunt & qui peregrinum vocabunt, homines, qui ubi nati sint non refert, cum si nati non essent, ne id quidem referret. Iuxta enim ignorantur. Et hi tamen de doctorum capite comitia habent. Si qua vitæ tuæ aut fortunæ hæret labecula, si qua genij infelicitas aut formæ, ea quoque ventilatur & paulatim in apricum producitur. Postremo, si non tuis, omnium eruditorum moribus urgeris ac calamitatibus, & hæc tua fiunt. Multorum enim interest ut talis habearis. Quæ tamen leviora sunt quam assiduæ calumniæ, quas aliæ libenter excogitant, aliæ libenter credunt. Denique vir eruditus & clarissimus, ut vestri vocant, partes es factus quem canticulæ commingant, pueri & artium tirones in circulis & compotationibus loquantur: omnes enim de successu indicant, qui cætera nec vident nec capiunt. Nam si aliud expectas, vehementer erras. Tu interea quid? Homo literatus inter Schapam & Neptunum hæres. Invenisti Parcam non unam quæ tuorum tibi seriem fatorum ordinet. Quorum sane ratio, non iam in Deorum ut Homerus loqui solet, sed in puellarum genibus versatur. Quid ergo? Obambulas, & versus facis. Quos Dione tua, scilicet, cantillet & circumferat, aut in aurem Philematio cuidam aut Glycerolo susurret. Quippe si pluris ea fieri existimas, fugit te ratio. Nulla est enim è festivis illis, quæ non carmen malit optimi Poëtæ quam fortunas eius. De quibus non immerito nonnunquam male sentiunt. Nam quis usus, aiunt, viri eruditi esse potest, quem ut statuam plerique admirantur & laudant, uxorem autem nemo respicit aut curat? Esse angustum ijs plerumque stipendiolum quo cum vitam utcunque sustineant, reliquum esse ut liberi ex asse in paupertatem succedant. Interea si minus impetras quod petis, versus tui ad maritum transeunt cum dote. Ut ad tuos numeros videlicet speratam tuam amplectatur. Itaque ut tibicines & citharœdi, in aliorum nuptijs plerumque canunt, ita ea quas vos celebratis tantopere, alijs non raro cedunt; vobis autem lacrymas & cantum relinquunt.

Interim

Interim dies ducitur ex die, strenue itur ac reditur. Quippe plusculum si urges, ibi vero formæ suæ & amoris tui conscia hoc monstrum, modo metu modo spe ludificatur miserum & extrema semper metuentem. Nam si de discessu verbulum, illa contra dictum unum aut alterum de melioribus aspergit. Quibus accedit admirabile illud condimentum ab oculis & gestibus,

Quod misero cordi affixum vivi∫cit ut ignis.

Ergo interim aut illicit cupidum, aut captum iam illecebris producit, neque sine magna temporis iactura, etiamsi absit infamia, tempus extrahit. Aut si satis firmiter teneri credit, ad superbiam convertit animum. Hactenus ut vinctum non dimittat. Qua in re usitata est formula, Placere te quidem, sed ad matrimonium non posse adhuc animum appellere. Semper enim alias conditiones videt, quæ si offeratur, tuis amplius historijs non sit locus. Ac ne versibus quidem. Quos interea lectitat. Quid enim minus potest? maius autem quod agat non habet. Interea non deest illi à quo colitur & quem populo ostendat. Iis qui bene eruditioni volunt, ipsam quoque ut æstiment: cæteris autem ut illudant & illudi tibi videant. Nam hæc illis maxima voluptas est, cum præsertim inter suas regnant. Inter hæc omnia (iam enim imperij arcana propemodum intelligis) accurate caves ne calamitatem cuiquam exponas tuam. Quid enim? Nonne in theatrum hoc venisti? Nonne hæc intristi ipse? Nonne uni tibi exedendum est? Et quid agas? Succenseat scilicet. Quis? Amator, hoc est, publicè stultitiam professus. Cui? Puellæ. Quam eodem tempore, si irascare, amplecti tamen malis. Adde quod videtur esse viri, muliebres ferre iniurias potissimum. Honeste autem, vitia dissimulare, & præcipue quæ prosunt nobis. Etiam cum subito mutantur. Nullum enim nisi in prudentia ac probitate nostra involucrum habet iste sexus: tum qui beneficium cum famæ detrimento collatum aut favorem nimium vel comitatem celare nequit, ut ingratum odimus, non modo ut constantem parum damnamus.

 Omnes

Omnes enim semper infirmiorib. favemus, cum præsertim melius vindicta tempori ac Deo committatur. Nunquam enim impune cuiquam fuit, utrum qui honeste amabit nequiter circumduxisse Nam si nihil aliud, honoris sui semper faciunt iacturam, quæ de alieno ludunt, ut vix magis improbentur quæ de flore suo largiuntur. Nemo autem ita prudens ita bene subducta ad vitam ratione unquam fuit, cui non imponi ista ratione possit. Ideo cordati viri & boni, illam odio, te commiseratione dignum indicant aut venia. Vere enim illud hic usurpatur,

Cuivis potest accidere quod cuiquam potest

Interim si festivi es ingenij & ridere alios soles, metuis ne idem vicissim eveniat nunc tibi. Neque raro cogitas interea, quanto meliora reliqueris: quam tibi bene domi olim cum clarissimis doctissimisque viris L. Annæo Seneca, Plutarcho, Cicerone, alijsque conveniret. A quibus, nihil ut ageres, divortium fecisti. Vt omittam nunc, quam multa tibi præter morem consuetudinemque sint agenda. Vicini prehensandi & amici, obsidendæ fores, salutandi plures, omnes metuendi. Cogitandum, quid ancillæ quid pueri absente te sugillent. Noctes insomnes traducendæ, literis & sanctis meditationibus renunciandum, sæpe gemendum, nonnunquam & illachrymandum sorti ac conditioni tuæ. Videndum quæ vestis qui cultus potissimum te deceat, quid iam usu sit receptum. Vtrum latus barbæ quod ad Orientem spectat, recte conveniat cum eo quod in Occidentem tendit. Sartore accurato & tonsore utendum est. Danda est opera, ne pallium ab interiore habitu tanquam in civili bello dissideat aut æquo sit prolixius. Ne calcei præter æquum ac bonum, caligarum terminos invadant, aut altius assurgant. Curandum, ut periscelides intra præscriptum se contineant spacium, ne, Vti possidetis, interdicat prætor. Incedendum cum cura, cum cura edendum ac bibendum, cum cura insaniendum est. Denique

Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.

Si quem vides virum gravem & quem æstimare soles, pudore, si quem inimicum, ira ac indignatione necesse est emoriaris. In hoc statu, mi Primeri, si res tuæ sunt, & in isto pelago iactaris homo minime scelestus, sed Poëtica simplicitate vitam solitus transigere, ideoque humanarum imperitius fraudum, quales plerumque estis, qui ab hominum oculis remoti, studio discendi semper aliquid ac cognoscendi tenemini, quæris quidnam faciendum tibi censeam? Primo, si amorem iam admisisti, actum est. Mala enim merx est. Proximum est ergo ut esurias: nam hoc Græci conducere existimant. Neque parum sane abstinentia hic potest. Secundum est ut moram temporis opponas. Tertium, ut locum mutes (nam & hoc prodesse aiunt) & cum loco pariter amorem si potes. Non enim quartum addam, de laqueo ut cogites. Vt quod absque vitæ detrimento fieri non posse existimem Sin me tecum missis ambagibus serio vis agere, sic agam. Vin tu, optime Primeri, rationi quam fortunæ potius amores tuos credere? Vis de te, vis de sana mente aliquando cogitare? Adeo redisse res tuas, ut potissimum illius te amore maceres, quæ despectum te habet, eludendum autem alij propinat! Nescire te egregiæ existimationis virum, universum fœminarum sexum tanti non esse, ut tu omnibus ludibrium debeas! Ne id quidem cogitare te, famam frustra te doctrina peperisse, si vivendo nullam eius curam habes: frustra eruditum esse, si receptam populi opinionem re ac factis adstruis, Ne communem quidem sensum eruditis esse! Si ætati dare ludum placet, quæ honestior voluptas petitur quam è coniugio? Hoc si displicet, quare in re seria nugari lubet? Quare Catullus & Tibullus & amandi artifex Ovidius assidue in manibus versantur tibi: Plato autem Xenophon & Epictetus, ne tractantur quidem: quorum tamen scriptis nullum efficacius ad tolerandas res adversas extat remedium. Et quia ad severam Stoicorum sectam ablegare te vix audeo, quæ incidit tantum vulnera & urit, noverca perturbationum potius quam emendatrix, age, Platonem tuum inspice, suavissimum ac iucundissimum

scriptorem & qui nihil venustati Poëtarum ac amœnitati debet, ne quid dicam amplius. Is tibi dicet, nihil amorem esse quã opinionem boni. Vt si lippus plumbũ videat, & hoc plumbum esse aurum existimet. Interim, hoc amet, eius torqueatur desiderio si absit, dies totos totas noctes se maceret, laudes eius celebret ac canat. Nunc ex Euripide exclamet

Ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.

Nunc ex tuo Pindaro,

ὁ δ'
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.

Interdum versus ipse scribat, in quibus omnia commemoret quæ auro comparari solent: eum, qui hoc habeat, observet, colat, sectetur, totos dies oculos in eum pariter & animum conijciat, interim de medico non cogitet. Ita tecum, mi Primeri, nunc agitur, & hic morbus tuus est. Nam nec pulchra omnibus videntur, quæ videntur nunc tibi, nec exactum satis est, in bonis an habenda sint, quæ tu bona esse existimas. Nisi forte credi mavis tibi, esse quendam puerũ, cui puero, Pater Vulcanus, mater sit Venus. Hunc cum face & sagittis miras res gerere: quemq́; attigit, ut Comici loquuntur, solido mactare infortunio. Qui ut tu canis

E Dominæ sacros accendit vultibus ignes,
Et flammam geminis suscitat ex oculis,
Vt quondam Titana ferunt immanibus ausis
Æterno flammas surripuisse Iovi.

Aut si audire illa mavis, valde enim sunt delicata.

Oscula cum roseo indulsit mihi Margaris ore,
Et trahit ad se intus transfugientem animam,
Tum loquor, ô si quid animæ superest mihi Divi,
Atque ipsum pulchræ impendite me dominæ.

Nisi

Nisi quod ab illis superantur:

Cum dominam aspexit, clypeum abijcit, & procul imos
Infelix mi animus effugit in digitos.
O Divi fugitivo illi latebram date tutam,
Hostili in gremio, sic fugiat dominum.

Hisne tu versiculis dolores mitigari posse credis quos in sese amor habet & molestias? Hisne tu puellas quibus ipsa fordet eruditio, moveri posse credis? Quin si vir es sapere audes aliquãdo & te ignominia subducis? Quin das aliquando operam, ut uxorculam modestam, liberos suavissimos, vitam non incertam sed compositã, amici tibi gratulemur? Denique, si me, si te, si existimationem tuam amas, aut puellam ama qualem tibi coniugem optares, nõ procacem, non alternam animi & vagam, sed quæ pretium amori tuo ponat: aut constanti animo ad exemplum meum, pro uxore semel sapientiam amplectere. Sin res adhuc integra est & vacas, autor tibi sum ante omnia, serio ne ames. Aut si hoc non potes (novi enim quo ingenio Poëtæ sitis) ut id serio dissimules. Donec indolem illius penitus perspectam atque exploratam habes. Ita simul in celando ad effectum spem habebis, neque si res aliter succedit, fabula cuiusquam eris. Interim conducet, plures eodem tempore si accedas. Ne hærere usquam te aut alij intelligant aut ipsa, & si sapis, loco & genere superiores. Hactenus enim ut ubique admittamur, literæ nonnihil possunt, quas nonnulli amant, nonnullos pudet non videri. Ad ipsam cum venies, operam in primis dabis, ut quam simplicissimum te illi exhibeas. Tales enim omnes eruditi facile creduntur. Qui videntur autem tales, eos ne vaferrima quidem quicquam celant. Negligenter quippe apud illos & loquuntur quidlibet & faciunt. Quare hoc conducet plurimum. Nam ut Parthi tantum fugiendo pares Romanis esse poterant, ita qui simplicitatem cum videtur induit, alienam facile calliditatem expugnat. Habeo amicum, virum literatum, qui his artibus arcana plurimorum ac mores penetravit,

neque

neque parum liberaliter pro candore suo singulari nobiscum omnia communicare solet. Iures ubi cum hominibus versatur, silentij plane alti ac magnarum cogitationum mortalem esse, aut in libris animum habere. Ille vero hoc agit. Advertit quæ non censeas. Ac si quando vel ex aula vel è foro ad se redit, quicquid alibi audivit aut vidit, in chartis festivissime describit, & dexteritate summa mores ineptorum & qui literas oderunt depingit. Qua de re aliquando iudicabit posteritas. Non enim minoris est prudentiæ non ante tempus sua edere quam bene scripsisse. Est & aliud, fortasse non omnino contemnendum. Sæpe observavi, nullam esse tam versutam quæ affectus suos moderari possit. Quod centesimus virorum quisq; vix potest. Igitur si paululum nonnunquam aut irrites, aut ad iram provoces, rumusculum proximus aliquem aut alterius de te iudicium impinget tibi. Tantum vindictæ amor potest. Neque raro fit ut dum aliena sciscitantur, sua non occultent. At vero si iam hæres, quod omnino iudico, & nolles tamen, neque intelligere non potes quid expediat, sed videri alijs constantem minus pudet, primum erit ut frigusculo paulatim eam ferias, & amorem quantum potes non abrumpas sed dissuas. Ita suis petise artibus sentiet. Et interdum sunt nonnulla hoc cur fieri expediat. Si nimirum non omnino male cum amicis eius aut propinquis convenire tibi credis. Præclaris sæpe & eximijs hominibus. Addo & tuis studiosis. Quibus dubitare non debes ægre esse, virum probum sic ludibrio exponi. Sed quis Deus inter tot iudicia ovem ferat tibi aut reginam emolliat? Nam qui frigide aut nimium remisse intercedunt, nihil promovent. qui calide nimium, ne illi quidem: fidem enim non inveniunt. Et vero, cuius interest, ne tu insanias, aut quis adducere eam potest, præter animi sententiam ut viro nubat? Quod ego nulli autor esse velim. Debetur quoque hæc tanquam merces pudicitiæ, ut libenter id & sua sponte faciant puellæ, quod si imperetur, non voluptas sit, sed pœna. Cuius partem semper maximam maritus fert. Adeo etiam hic difficile est.

Venatum ducere invitas canes.

Interim suus illis honor deferendus est. Etiam cum agere aliud intelligis, & iudicio puellæ sine sua ac suorum invidia omnia deferre. Id quod hodie non nemo facit. Ea enim ratione ut quisque est simplicissimus, ita circumducitur facillime & satisfieri patitur sibi. Qui autem non est, dabit tamen operam ut videatur. Quod si dignam tuis moribus tuaq; vita es nactus, numquam differendum est quod agis. Ne dum tu in Pindarum aut nescio quem alium scriptorem, commentarium moliris, alius in eam notas scribat. Stylo enim expedito hic est opus. Et præsertim si sit procax aut agilior. Neque raro fit, ut dum vos pugnatis tepide, alius cuniculis rem gerat & dolabra animum expugnet. Quod fit expugnato corpore. Pudoris enim sui tabem necessario puella sequitur, aut si est honesta, antevertit. Virtutes quoque minus movent animum, cominus e contra dedecus & conscientia obstringunt. Vos vero fide optima ac moribus amatis, neque minimum audetis per lasciviam quæ illecebra hoc tempore est amoris ac glutinum. Ita fit, ut dum boni viri estis, alius de ea & de vobis pariter triumphet. Quippe si, quemadmodum in optimatum Rep eundem esse bonum virum & bonum civem docet Aristoteles, in reliquis diversa ut plurimum hæc esse, ita, inquam, optimarum quoque puellarum aliqua Resp. si esset, idem vir bonus & amator bonus esset. Nunc corruptis moribus, Primeri doctissime, capiuntur optime quæ tales sunt: viri autem boni & modesti locũ dant prudentioribus, sicut in palæstra eruditi fortibus. Non enim ibi si Poëta esses, & valentem nactus esses adversarium, quicquam efficeres. Idem tamen hic fieri miraris. Et plerique estis tales, ut cum impetu agatis omnia. Ideo non raro fit, ut acribus initijs, fine incurioso, infelici exitu ametis, quod in multis observavi. Atque idcirco pridem in possessione repulsarum estis. Nam ut veteres omittam, neque Claudiam Lotichius, neque Hyellam Flaminius, neque Cassandram exoravit Ronsardus. Illa autem

Vatis amatoris Iulia sculpta manu,
relicto vate, amatore suo & sculptore, peregrino cuidam nupsit. Quo, Poeta multum indignante, quod ex eius versibus apparet, in illius gremio cantare merito pro illo potuit,

Centum basia centies,
Centum basia millies,
Mille basia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari,
Quot sunt sidera cœlo,
Istis purpureis genis
Istis turgidulis labris
Ocellisque loquaculis
Figam continuo impetu
Magni Iulia nominis.
Namque amans tuus excidit,
Et sculptor tuus excidit,
Excidítque Poëta.

Miser autem basiator & suavissimus Poëta, cum instaret nox illa, cuius ille usum ac fructum sola cogitatione delibaverat, solem orat, vultum suum ut abscondat, Iovem fulmina ut emittat, quasi novum reb. in iucundum esset chaos, aut Titanes cœlum oppugnarent, aut Deorum interesset à quo eius Iulia devirginanda esset. Qua de re & literas illius legi, sed quæ nondum formis sunt descripta. Quosdam iam abiecto novi animo, ut in animum illius quam amant, serio inquirere non audeant, ne si subito desistant ferre repulsam dicantur. Nam hoc ignominiosum habetur. Quasi id non regib. eveniat quotidie, aut quasi possint cogi quæ se exorari nolint, aut hac tota res non fato dispensetur potius quam meritis. Postremo, quasi de pratura aut consulatu agatur. Atqui Cato à terrarum victore populo repulsus, pila dicitur lusisse, & Vatinio postpositus, numquam esse se minoris ideo putavit. Nos contra, qui si bona nostra novimus, & contenti parvo vivere dicimus, quod Philosophia

sola

sola dare potest, supra regum omnium ac principum repulsas assurgimus, quasi non in foro & in aula satis reperiantur multi qui augustā sapientiæ ac eruditionis dignitatem quia capere non possunt, pertinaciter contemnunt & autoritate sua oppugnatum eunt, ad stolatum iudicem abimus, Itaque stultissimi mortalium, quanti Eromenion aliqua aut Lampadion esse nos iudicat, tanti esse ipsi arbitramur. Cum præsertim sint & aliæ, neque forma neque dote inferiores, quæ & eruditioni multum & parentib. deferre aliquid didicerunt. Quas qui tacite ambiat, modeste petat; conscio nemine, favente quolibet, confectam rem habeat, neque temporis iacturam faciat aut existimationis notam incurrat. Sed plerumq; nimis aut demissi aut supplices sumus. Hinc autem spiritus sumit iste sexus. Tum quæ placent nobis sine modo laudamus, quod facillime admittunt. Idem quoq; quod Pygmalioni accidisse aiunt accidit Poëtis. Nam ut ille statuam ex ebore fecisse dicitur qua mox deperire cœpit, ita formam sæpe ipsi nobis fingimus, in qua primo ludimus tandem vero misere hæremus. Quicquid enim deest ei de qua cogitavimus, ex ingenio supplemus, neq; parum addimus, omnia autem excusamus. Vt sit alia propemodum in versibus & mente nostra quam quæ aliis videtur, non enim semper veritatem imitatur Poëta, sicut rectè observat Plato, amator autem raro eam videt. Adde quod qui captus est, odit eam semper & nescire mavult etiam quæ novit. Finem faciam, unum si addidero Rationes vestras, optime Primeri, vehementer admirari me solere. Qui cum ea studia tractetis quæ in rebus humanis quidem prima sunt, sed quæ sunt à vulgo aliena ideoq; contemnuntur, si quæ tamen est puella aut in aula aut in foro, moribus & indote à vobis aliena, eā amatis. Neq; minus non præcedere quæ cogitatis admiramini. Id plerumq; vobis successit, homo simplex & qui nihil soleo dissimulare. Eas quoq; urbes eligitis nonnunquā, quæ cū instituto vestro minime conveniunt. Vt si tu Bruxellæ, Amstelodami ego amarem cum in anima & mente patrimonium omne omnes habeamus, & copias,

hanc

hanc monetam autem ibi nemo novit. Eorum opes interim stultitiam & sapientia contemptum patiuntur, virtus autem nostra & eruditio laudantur, cætera ab illis expetuntur tantum. Id memento quoque qua sis tempestate natus, qua nimirum ad interitum literæ omnes omnis properat humanitas, tantum quia minus quam debebat æstimatur. Legimus Virgilio non secus quam Augusto, venienti, pop. Rom. assurrexisse. Augustum ab Horatio repulsam tulisse, quia Mæcenatem præferebat. Vespasianum, iucundissimum Imperatorem, à Plinio vocari. Principum filios ætate patrum humaniores docuisse literas. Laurentio Medici Politianum, Francisco primo alios familiares fuisse. Quem & ad Rob. Stephanum subinde visitasse & cum ei non vacaret, quod eorum quæ tum edebantur emendationi intentus sederet, paulum exspectare iussum esse. Neque parum refert ubi vivas, penes principem an penes populum sit summa rei. Plerumque quoque ingenia præclara pluris fieri post obitum dicuntur. Sed tum serum est uxorem ducere. Neque ego autor tibi sum propterea, ut moriaris. Habes sententiam, optime virorum, de Poësi tua nostram, habes de amoribus. Quod si tua tibi pergit placere (nec enim invideo) & ad hoc iudicium duo aureorum millia quotannis accedunt, per me licet ut ex his nonnulla prætermittas. Facilius enim emuntur puellæ tales quam exorantur. Vale, & scito totum me in describenda nova Rep. esse. In qua hoc cavebitur, ut quemadmodum nunc soli reges regum ambiunt filias, ita Poëtarum ac Philosophorum inter se liberi iungantur. Video enim vos ab aliis non satis æstimari. Curabitur præterea, ut emptiones & venditiones non, quod nunc fit, auro & argento, sed Poetica moneta contrahantur, hoc est versibus. Quadringenta millia qui possidebit, eques erit: qui Romanum Græcum & vernaculum, dexteritate pari scribet, imperabit reliquis. Si quæ sunt puellæ quæ Poëtis olim illuserunt, quas ego odi pessime, eæ in hac urbe mea atque in hac Republica, eunuchis nubent. Idem quoque ut illis post hanc vitam eveniat, Minos, Iovis dum viveret arcanis admotus, nunc autem inferorum prætor Æacus & Rhadamanthus Gnossius curabunt, qui, sicut nosti, præfecturam suam atque imperium Poëtis debent. Quorum ad tribunal, ubi mortem commutaverint cum vita, Cupido foliis maluarum usque ad necem eas cædet, cum solenni formula ad plagas singulas,

Discite iustitiam moniti & non temnere vates.

Rivales autem Poëtarum quamdiu vivent, diruti ære & discincti, sine sica ambulabunt, non de qua Cornelia lex agit sed quam tangit Iulia. Ut intelligant, cum viris sibi rem fuisse. Quamobrem vide etiam atq; etiam quid agas. Nam si expectare potes, donec omnia ut oportet ibi erunt constituta, faxo lepidam puellam ex Anacreonte aut Homero eligas, cui dotem dabit Penia Platonis aut Idea. Nullus enim ibi usus erit nummi. Nunc autem quamquam in omnibus tuis, vena lenis & tersissimus elucet character, est tamen quidam in cuiatis vestri regis & circumforaneo hoc auro, qui non paulò plus potest. Hac res nobis fraudi est. Unum opto (ne perpetuo iocari me existimes) fidem ut habeas, homini non quidem erudito, sed qui aliquem, ni fallor, usum habet rerum atque experientiam. Quod ne sero intelliges, iterum atque iterum, suavissime Primeri, cave. Vale, & Bellocherium, tuum iuxta ac meum, meis verbis saluta. Lugduni Bat. M. D. C V I I. Kal. Iul. Mi doctissime & venustissime Primeri, iterum Vale.

EPISTOLA,

De Poëtarum ineptijs & sæculi vitio,

In qua & de se & de Poëmatis suis autor loquitur: quæ & in eorum fine legitur.

DAN. HEINSIVS AMICO LECTORI S. D.

ET hæc quidem hactenus; plura quam volebam, amice Lector, & fortasse quam oportuit. Quædam enim amicorum causa scripsi, quædam illorum causa edidi. Hoc seculi vitium est, ne à me alienum putes. Eo tempore vivimus quo servile nomen Poëta est. Nemo quærit an possis. Sunt aliqui qui petunt semper, sunt alij qui semper imperant. Si recusas, gravius peccas quam si ineptias. Flet aliquis, flendum est; ridet canendum est: &, ut verbo absolvam, Poëtæ hodie νευρόσπαστοι sumus

Vt nervis alienis mobile lignum
Ducimur.

Aut morriones verius & suavi ludij. Patrem aliquis amisit aut matrem; ad Poëtam itur: amicam offendit, carmen poscitur: sponsam ducit; sine Poëta nec maritus fit nec pater. Id quod denique in funere præfica, in amore lena, in nuptijs pronuba, id ubique nos sumus. Sunt qui somnia nobis sua referunt, si uxor abortijt aut ancilla concepit, argumentum carminis putant. Sunt qui ultra suam memoriam & nostram argumenta petunt. Lucretiam plorare nos iubent aut Virginiam: &, quod Imperator olim, Iliensium vicem dolere, quod egregium civem Hectorem amiserunt. *Vt omittam esse qui iure materiam præscribunt, numerum in versibus, ne vel plus vel aliter dicamus quam collubitum est illis. Vix hoc etiam quod grammatici est, Poëtæ relinquunt: verba ut iungat, numeros cogat, me-*

trum

trum eligat. Præscribunt, imperant, in ordinem nos cogunt: astringunt denique ingenium nostrum, prout ipsis visum est aut relaxant, & quemadmodum papilionem pueri aut bruchum filo dimittunt aut attrahunt, itidem à lubidine ac voluptate sua nos pendere æquum censent,

Ὥσπερ μηλολόνθη τοῦ ποδός.

Itaque nec naturam sequi licet nec impetum, sine quo nec fuit dus quicquam nec erit. Cælum aliter si ire iubeas deorsum trahes: motu suo moveatur, nunquam desinet. Sagittam in altum mitte, ibit quo volet, sed mox cadet: scribe invitus; aliquid sequetur, sed caducum. Eodem quo cum gladiatoribus modo, nobiscum nunc agitur: quippe qui ad alienum arbitrium edebant, non ut bene viverent, sed ut fortiter perirent. Erramus si ab illis famam speramus, quæ ut alieno iussu scribimus, ita cum periculo nostro vulgamus. Quod in alijs labor, in Poëta natura est. Curret cum cælo suo aut peribit. Quid quod non idem semper in nobis vigor aut alacritas, & cælestis ille spiritus momento extinguitur aut redit? Aquila subinde languet & deficit, adeo ut nec ungue valeat nec rostro, ideoque, quem ἀετὸν vocare solent, tum ἀπτέρωτον dicunt. Idem fit in Poëta: scribet cum vult, non quæ vult aut quæ delet. Mihi quidem nihil tam difficile est nonnunquam, quam carmen non scribere: interdum vero, sed plerunque rogatus, facilius è pumice aquam, quam ex hoc pectore guttam humoris Poëtici eliciam. Forte & cum alijs sic agitur. Interim nullus liber sine versu nostro prodit nullum carmen. Vbique legimur, ubique nomen nostrum ad fastidium apparet. Tineis credo & blattis ab ingenio nostro condimentum petit obscurissimus quisque, & quasi solus perire non possit, secum Poëtam trahit. Quid quod nec delere hac editione licuit, quæ non placebant? Negant enim hoc amici esse, qui à nobis famam hanc mercede exspectant, ut prostituamus nostram, & ambitiose has magis amant, quas dum omnib. concedimus, merito apud eos evilescunt quibus negari non debent. Neque intra eruditos stat hæc insania.

Sculptor

Sculptores ſuccedunt & plaſtæ : mox, ut natam rem video, aurigæ ſequentur & nautæ. Nil fit ſine nobis nil geritur, quodque de re alia Philoſophus, Δελφικὴ μάχαιρα aut ὀβελισκολύχνιον ſumus. Vidiſti in Homerica Republica Poëticum Iovem, Deum vere πολυπράγμονα, qui ab omnibus obtunditur Pro Achille inſtat Thetis, Agamemnon pro exercitu, Chalcas ut verum dicat, Aiax ut nubem tollat, Vlyſſes ut domum redeat, Alcinous ut ducat, Telemachus ut ſalvus pervenire poßit Lacedæmonem. Vix ut optimo Deorum commiſſatum ire liceat μετ᾽ ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, aut Iunonem ſuam è cœlo ſuſpendere, aut Vulcano crus frangere, aut Ixioni a ſuæ tria verba in aurem dicere.

Ἣ τέκε Πειρίθοον θεόφιν μήστωρ᾽ ἀτάλαντον.

Aut ſi quid lubentius agit πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, cum Homerice nugatur. Hæc vita noſtra eſt. Et tamen ille interdum abnuit aut negat.

Τῷ δ᾽ ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ᾽
ἀνένευσε.

Nobis non licet, ne cum ratione quidem. Beneficium beneficio trahitur. & ſi quando neges, invidioſa eſt prior liberalitas. Merito ut dicas,

Exauſpicavi ex vinclis : nunc intelligo
Redauſpicandum eſſe in catenas denuo.

Etiam ignoti ſunt laudandi, & fortaſſe improbi. Ij quos nunquam vidimus nec fortaſſe unquam videbimus, ſuffragio iuvandi ſunt. Itaque quemadmodum Athenis, ſatis erat in pariete ſcripſiſſe, ΚΑΛΟΣ Ο ΔΕΙΝΑ: ita hoc elogium in fronte libri delectat, neque ſecus quam in fuco meretrices, præſidium in alieno quærunt carmine. Vidi qui precium offerret vidi qui poſceret, neque unum novi Poëtam, qui furorem ſuum quoties luberet, alteri locaret. Ad exemplum Simonidis, ut quidem arbitror, qui primus artis noſtræ fuit inſtitor, & cum Muſis Divam

Monetam

Monetam coluit. Itaque gratis nihil ſcripſit, precio nihil negavit unquam. Notum ex Ariſtotele illud,

Χαίρετ᾽ ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Apud Hieronem vero quos quæſtus fecit! Cenſus integros, integra corraſit patrimonia. A quo parum nobis periculi eſt : facile hic mores tutamur noſtros. Nemo enim regum eſt, qui ſimiam non malit quam Poëtam alere. Nam ut hortos totos cum Scipione, aut prædia cum Mæcenate deferant, ſecta temporum noſtrorum non patitur.

Et hæc prius fuêre, nunc recondita
Senent quiete.

Minores ſatrapæ ſunt qui nos dormire non ſinunt. Hi inſtant, hi moleſti ſunt, hi totos dies nos obtundunt, hi ſalva amicitia negari poſſe non putant, id quod ſalva exiſtimatione non datur. Quanquam & hæc Poëtarum culpa eſt. Sunt enim qui non negant, ſunt alij qui operam offerant ſuam, & cum illo Plautino geſtiant promitti. Quorum verſus ſunt ἐφημέριοι, & naturæ beneficio hoc conſequuntur, ut cum ſole oriantur & occidant. Niſi quod,

Illis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Alij priſco Cratino credunt,

Nulla valere diu nec vivere carmina poſſe,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus

Ergo offam ſequuntur & cibum alienum : neque unquam ſterſies ſunt, quam cum domi cœnant, aut non bibunt amplius quam par eſt Mures, aiunt Philoſophi, ſi ſalem lingant, ſine coitu fœcundi ſunt : illi niſi ab aliqua menſa redeant, nihil edolare poſſunt. Neque longe mihi à nonnullis pſittacis abire videntur, quibus niſi offam oſtentes, vocem elicere non queas. Mihi certum eſt aut ſponte in poſterum ſcribere aut tacere. Si inſaniendum eſt, Scyllas inveniam aut Chymæras: nunquam enim argumentum deeſt Poëtæ, non magis quàm Deo Platonico Idea ſua. Quod ſi nihil ſit quod canam, minori negotio ſecure dormiam,

E 1

Ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος.

Neque de cuiusquam iudicio sollicitus, mea
virtute me involuam, probamque
Pauperiem sine dote quæram.

Quo nihil facilius. Est enim αὐτοδίδακτος ἀρετὴ *paupertas, ut aiebat ille. Hæc à parente nostro ad nos devoluta est hæreditas Homerum dico, qui sic vixit sic abijt. Hoc uno beatus, quod nec codicillos fecit nec legatum, neque quisquam de inofficioso eius egit. Quanquam si Philosophis credimus, sic quoque satis fuit opulentus, cui nihil præter necessaria deesset: bona autem animi abunde supererant. Plus enim Populo Rom. reliquit Attalus, minus habuit. Nunquam enim vere tuum est quod aliquando non erit, neque in possessione est cuiusquam, id quod ad hæredem transire potest. Idem ipsis quoque Musis evenisse mihi quidem solet videri. Nam cum singuli Deorum, bellam sibi Divam aliquam elegerint, cum quæ ævum genialiter in cœlo transigerent, ut Poëtica Theologia docet; solas illas Iovis filias in Helicone suo canere & plorare omnes proci iusserunt. Credo, quod in dote esset vitiura, neque Iupiter Saturni filius, rebus alijs intentus, ijs quicquam præter fides, tibias, & voces, quibus suum sibi oblectarent domi ocium, reliquisset: multorum liberorum pater scilicet, & cui ob lubentiam quotidianam onus familiæ accresceret. Nam de facie non possum dubitare, sive Hyacinthum cogito, quem Clio, sive Rhesum quem Euterpe, sive Corybantes, quos Thalia, sive Sirenes, quas Melpomene in lucem fertur edidisse. Cæterum ante nuptias id contigisse satis constat: Hymenæum enim postea Vraniæ produxit. Neque parum sapuisse mihi Thamyris videtur, qui hac lege omnes provocasse à collegis nostris, viris scilicet probissimis, narratur: non ut secum pulcherrima si victor esset, legitime in manum conveniret, sed ut flere singularum potiretur. Malebat enim homo prudens, semel novem delibare, quam cum una semper esurire. Verum hæc mittamus. Id unum tantum petimus: ut si quid videbitur languere, illis asscribas quibus dedimus, neque aliud in nobis quam facilitatem damnes. Quod vel à candore tuo expectamus vel ab ingenio. Nam perversa iudicia eo semper animo fui ut ridere quam respicere maluerim, non enim molestiam mihi creant, sed iocum. Et quod Græci dicunt, κερδαίνειν τὸν γέλωτα. Novi qui Elegijs meis hoc deesse diceret, quod minus graves sint quam Tragœdia. Cras futurus est, qui Tragœdiam contemnat, quod minus festiva sit quam Elegia. Quid restat, nisi ut Aristoteles redeat, & περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων scribat denuo? Nam priora illa vulgi stultitia superavit omnia. Quo nemo ineptior est, quam qui ea credit aut æstimat: & quanti sit ipse ab alio expectat. Aliquid fortasse scribam quod doctis placeat, nihil quod omnibus: nec cogere possum quenquam ut non maledicat, nec me quisquam ut hoc metuam. Petant ut lubet & feriant: ego securus sedebo & hæc vulnera Democriti pharmaco abstergam, & declinabo hos ictus,*

ὡς ὅτε μήτηρ
Παιδὸς ἐέργῃ μυῖαν ὅθ' ἡδέϊ λέξεται ὕπνῳ.

Tu vale, mi Lector, hos & iocos excusa. Adhuc enim Poëtice scribimus, & à vicino aliquid contagij traxit desultorius hic sermo. Saturnalia præterea, aut si mavis, Dionysia erant, quibus nullum libertati est periculum. Quam si neges, Romæ eam impetrabo cum servis, aut Athenis cum comicis.

LAVS

LAVS PEDICVLI,

AD

Conscriptos mendicorum Patres.

SAcrum morbum esse opinionem, vere pariter ac eleganter, Patres mendicorum Conscripti, ab antiquis proditum memoriæ est. Cuius tanta vis & efficacia est, ut si quem vel leviter afflaverit, eum tanquam vinctum constrictumque teneat, neque ad veritatis lucem attollere oculos permittat. Id vero maxime est deplorandum, quod in tunicata non modo plebe hæreat, sed iudicia ipsa, in quibus de salute agitur mortalium, cum semel invasit, suffragia ac sententias moderetur, & in partem alteram utrum videatur, decernat ac statuat: imo hercules pro iudice sedeat. Quod in causa rei nostri manifestum esse, quis tam nullo præditus est sensu, quin fateatur? Pediculum, animal nobilissimum, hospitem hominis perpetuum ac domesticum, ortum ex homine ac creatum, in iisdem focis ac larib. educatum, eorundem Penatium, & si quæ domesticæ religiones sunt, omnium participem, vestrum vero comitem fidissimum, premunt quantum possunt homines, & in contemptum adducunt: neque terra iam & mari, sed quam unam habet vitæ ac fortunarum sedem, corpore humano interdicunt ac proscribunt. Cuius rei causam si quis quærat, nullam præter unicam opinionem inveniet: quæ ut penitus ex animo tollatur vestro, ad salutem rei interesse existimo. Quam ut vobis diligenter commendem, satis est si laudes eius non ignotas esse vobis patiar. Aiunt primo omnium, infame esse nomen. Dij vestram fidem! quod à parte honestissima desumptum esse, ipsi non negant. Unde Pedem primo, mox ut blandientes ac amantes solent, Pediculum dixerunt: non profecto minus casta voce, quam aut Oedipum aut Polypum quo & ipso hoc animal notatur. Ergo opinionis vim videte. Pediculorum montem, populos Pediculos, Pedicu-

lorum

lorum agrum & flumen, dici nemo turpiter existimat. Ne de foliorum pediculis & fructuum hic agam. Quanquam equidem Romani ne præclara quidem & magnifica deesse illis voluerunt nomina. Vt cum sexcupedes subinde & serpentes dicunt. Multo vero minus Græci, qui ab ipsa rationis officina, cerebro humano, unum inter cætera dedêre. Quanquam sane reus noster, nihil ad se pertinere quo dicatur nomine exstimavit unquam. Quam præclaram ἀδιαφορίαν, sine dubio è Stoicorum barbis superciliisque, in quibus olim vixit, crediderim hausisse. Cæterum quandoquidem à Patria plerumque laudis Originem & Oratores & Philosophi deducunt, quod Platoni quoque in Menexeno placuit, reus noster, neque Athenas neque Romam producet, quarum civitatum præconia ad fastidium usque sæpe audivimus. Patria illius, homo est. Cuius laudes prædicare velle, putidi sit & inepti. Sicut autem solus ratione præditus est homo ita ratio in suprema eius editaque parte, domicilium ac sedem suam habet: capite nimirum. Quam profecto sibi tanquam arcem quandam, minime ut reor contemnendam, delegit. In hac nascitur, in hac educatur, in hac opes omnes suas stabilitas ac fundatas habet. Huius incola est & civis. Non inferiora, hercule, secutus. Cum vero, quemadmodum antiquus Poeta eleganter cecinit, bono vicino nulla res sit melior, ille mentem, ille intellectum, ille prudentiam ac sapientiam, vicinas ac propemodum domesticas habet. A quibus cum longissime asinus absit, lentum animal ac hebes, pediculos non novit. At contra prudentissimi mortales, præter hominem, canem quoque ac philomelam ardenter sectantur: quos ingenio præstare norunt. Ne non verum sit, quod primum ab Homero, mox ab Aristotele est dictum. Cum similib. similes ut plurimum coniungi. Soli ab ingenij felicitate divinitatis nomen Platoni imposuit antiquitas. At pediculi illius, proverbio circumferuntur. Ne de Pherecyde & Alcmane dicam, quos ad necem usque sunt secuti. Nobilissimi ergo in capite morantur.

Plebs habitat diversa locis.

Multas

Multas enim, ut plurimum, colonias ducunt, in vestibus, in supercilijs, in barba, licet non eiusdem omnes generis. Antiquitatem illius si spectes, supra Erichtheum ac Cecropem ad Deucalionem continuabis. Simul enim ac saxa spiritu humano incalescere cœperunt, hunc calorem reus noster est secutus. Qui ut quam longissime ab omni frigore versetur, sua semper interesse existimavit. Homo ergo è saxis, ex homine natus est Pediculus: tanto nobilior origine, quanto saxis ac lapidibus nobilior est homo. E carne nasci Aristotelis opinio est, è sanguine autem Theophrasti. Utramque nobilissimam esse corporis nostri partem, nemo ignorat. Aiunt è corruptione nasci, & hoc telum contra innocentiam valere posse, crudelissimi actores arbitrantur. Nolite pati, Patres Conscripti, imperitiam in foro vestro ad calamitatem rei, ultra veritatem posse. Idem enim homini, idem cunctis animalibus eveniet. Ex corruptione enim sanguinis semen, è corruptione seminis homo, cætera item animalia nascuntur. Quid pavone formosius? è corruptione ovi nascitur. Quid apibus prudentius? quid vero fœdum minus, magis autem necessarium? è corruptione bovis nascuntur. Nihil enim generat ex alto Natura, nisi ista lege, ut aliquid corrumpat. Et tamen, ista generat simul, ut omnia conservet. Unde &, omnia mutari nihil interire, à Pythagora est dictum. Contra vero, ita me Dij ament, mira ratione factum id videtur, ut eodem modo duo celeberrima nascantur animalia; Pediculus, & Phœnix. Alter è parentis sui cinere: alter è lende. Quare, nec sine causa, utriusque originem scriptores nobilissimi coniungunt. At vero Aristoteli si credas, nihil fieri è lende, iam vicarium divinitatis, primum feceris Pediculi autorem. Calorem nempe universalem, quem non sine causa creatorem Arabes dixerunt. cui cum hoc animal est procreandum, naturalis quoque accedit. Iam si educationem videas, simul ac usuram lucis usurpare Pediculus cœpit, ijs artibus ac disciplinis instituitur, in quibus plurimum utilitatis sibi repositum esse ad vitam existimat.

mat,

mat. Non natare discit, in continente enim habitat. Neque literas & disciplinas. quippe quas prodesse parum ad virtutem doctoribus plerunque videt: sed in re familiari & domesticis negocijs occupatus, quicquid ab edendi exercitio reliquum est ocij, contemplationi impendit. Facilitate autem vivendi, ad Homeri Deos ῥεῖα ζώοντας, *quam proxime accedit. Cibum enim non quærit; sed in promptu habet: & quocunque se convertit, sine apparatu ullo fruitur paratu. Iam & alia cum Homerica divinitate habent communia,*

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽, οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα
οἶνον.

Nec fruges comedunt, nec libant munera
Bacchi.

Terram non exercent aut arant, sed humanas carnes vellunt leniter ac pungunt. Constitutionem corporis si quæras, pene oculorum aciem excedit. Membra quidem certe mira subtilitate artifex natura fecit: ut ad intellectum proxime accedant, visum autem vix admittant. Quod cum incorporeis propemodum commune habent. Qua nobilitate sua sensus excedunt. Quare sola ratione penetrari possunt. Etiam cum atomis; e quibus architectus Leucippus, fabri Democritus & Epicurus, orbem hunc construxerunt. Quas idcirco corpora materiai; corpora prima, primordia, rerum semina, *item,* materiem, *familiaris Epicuri Poëta dixit. Sed præsertim Acari, notus Aristoteli, qui & nomen idem fere, certe ab eodem, contraxit: cæterum nec dividi, nec findi, & propemodum videri non potest. Qui si incurreret in oculos, neque modo ipse sed & membra sub aspectum singula venirent, præcipue autem pedes, fixo hamatum illud asperum ac leve atomorum spectares. Iam vivendi genus placidum delegit ac tranquillum. Non volatile, ut aves, neque desultorium, ut pulex: sed*

pro

pro dignitate vitæ suæ, stabile ac quietum. Passu tardo ac composito incedit: neq; quicquam è Philosophia tam amplecti quam silentium Pythagoræ videtur. Intentionem enim mentis, nihil æque ac strepitus offendit. Quæ si est continua felicitatem quidem certe humanam transcendit. Neque ab actione tamen prorsus se abstinet. Continuo enim epulatur. Amicitiam cum homine colit: fide verò ipsum superat. Quippe

- -- fugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici;
Ferre iugum pariter dolosi.

At Pediculus manet: nec fortunam venientem sequitur aut fugit recedentem, nisi quod adversa, hoc est vestra (ea est præclara mentis generositas) magis delectetur. Paupertatis enim comes est & assecla,

Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

Quare, quemadmodum Scipio nunquam minus ociosus erat, quam cum ociosus esset: ita vos, Patres Conscripti, nunquam minus esse solos arbitror, quam cum soli in compedibus ac carcere versamini. Adsunt enim vobis comites fidissimi, qui in crucem usque vos sequuntur, sed præsertim, Pessulatas sive Plactulas quas vocant: quæ in pube, axillis, barba, palpebrisque plerumque stabulantur; quemcunque semel invasère locum, eius ad supremum usq; spiritum tenaces. At de cæteris, mirum est ac supra fidem id quod dicam. Nam ut Troianorum Deos Magnos & Penates cum iam urbem invasuri essent Græci, eam reliquisse nobilissimi Autores tradidere, ita isti, eum quem moriturum vident, agminatim recedunt. Neque id medicos prudentes unquam aut Philosophos fefellit. Vnde ariolos nonnulli & divinos dixere. Res eorum gestas, si mensuram corporis respicias, paucas esse credas aut nullas.

At simul heroum laudes ac facta parentum
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere
virtus,

In

in diversum protinus abibis. Ipsi enim, sive ingenua, ut arbitror, modestia, sive quod annalium memorias contemnunt, rebus aliis intenti, laudes suas, & quæ fortiter gessère, non nolentibus hominibus, dissimulant. Syllam quidem hercule, terrarum principem, qui bis Mithridatem bis Marium devicit, qui Athenas profligavit ac evertit, ferro Italiam ac cædibus miscuit, facto simul agmine invasère. Quid Arnulphos, Antiochos, Herodas, Maximinianos, Pheretimas, Honorios commemorem, aut Cassandros; reges omnes principesq; ? ne ad privatos nunc eam. Cum quibus sine ferro aut milite congressi, illustrem ac præclaram victoriam tulere. Vt merito, si quicquam iniusto, usurpare de se illud reus noster possit,

Εἰμὶ φθεὶρ ἀνδρῶν δαμάστωρ, δαμάστωρ δὲ τυράννων,
Τῆς μεγαλαυχήτου φθειρὸς Θέρμιδος θεράπων.

Quos Latine reddidissem, nisi carmen Romanum fugeret Pediculus: Græculis non sine causâ æquior. Reliquos autem omnes cum quibus versatur, benigne ac familiariter habet. Non enim lancinat aut lædit quenquam, sed titillat. Qua in re, ut rectè in Phædone ait Socrates, maior ne sit voluptas dubites an dolor. Nisi quod ex ipso dolore oritur voluptas. Quam quidem titillationem, ita vobis gratam esse equidem confido, Patres Conscripti, ut præcipuum ac maxime iucundum paupertatis vestræ ac calamitatis condimentum esse arbitrer. Sæpe vidi, quanta delectatione, modo tergum, modo caput, modo latus, modo partē aliam, quam leniter sollicitare hospes vester cœperit; fricare soleatis. Si voluptas enim, teste Platone, mera est repletio, ea autem nascitur ex indigentia, causam voluptatis vestræ quæ in frictione summa est, ullam præter hunc quem accusatis, miror si adferre potestis. Quem (quod lepidum est dicam) caput dum scalpitis, membra fricatis, hoc ipso non extinguitis, sed generatis. Cuius rei causam si petitis, Philosophi

C dicent

docent. Quid quod medici officio funguntur? Sanum enim optimeque constitutum iis esse caput quos invadunt, ipsi medicorum principes fatentur. Iam in morte qua constantia, Dii boni, qua præsentia sunt animi! Sæpe enim fato iam vicinus aliquis, & in pectine positus, in quo diem claudere supremum solet, spatia aliquot securus conficit: ne quid præter vitæ anteactæ dignitatem faciat, aut existimationi suæ maculam inurat. Cuius magnas ac præclaras quidem animas, summam habere semper constat rationem. Augustus quidem Cæsar, εὐθανασίαν optabat: mortem facilem ac repentinam. Quam me iudice unus hic consequitur. Non enim lentis, non acutis cruciatur doloribus. Non laterum, non renum, non vesicæ morbos experitur. Puto quod nascente illo Venus in octavo ab horoscopo loco constituta fuerit, quæ, ut Mathematici nos docent, mortem facilem, & ab omni immunem dolore, generi mortalium, quorum non postremus est iste, decernit. Ille autem pollice converso, protinus extinguitur. Ea tantum parte deplorandus, quod immerito. Quanquam nec idcirco sit miser. Nemo enim innocentem & calamitosum, rectè infelicem dicat. Id quod olim ante mortem Socratem dixisse ferunt, cum amici quidam ideo dolere se dicerent, quod immerito è medio tolleretur. Et plerique quidem morte extinguuntur acerba: ideoque, sine pompa, ludis ac præcone, exponuntur verius quam efferuntur: tacito non indictivo funere. Forte quod intra tyrocinium & ante sumptam virilem togam moriantur. Vnde & intestati discedunt. Atque hæc quidem pauca sunt de multis. Nam quis omnia se posse speret? Cum præcipuus scientiæ consultus ac interpres rerum omnium Homerus, naturam eius cum quo semper vixerat, circumventus ænigmate, explicare non potuerit, tædioque rei exspirarit. Forte & in pœnam. Sunt nonnulli quippe, qui de dignitate eius parum reverenter alibi locutum ferunt. Grammatici nimirum: qui à reo nostro nunquam alieno animo fuerunt; paterni eius hospites ac familiares. Vos vero, Patres Principesque mendicorum, etiam atque etiam in posterum

rum videte, quid agatis. Nam si vos supplicium delectet; in promptu relegatio est aut exilium. Possunt enim aut in terram deponi, aut, quæ vestra est civilitas, in alium honoris speciem ac cum iudicio transferri, ubi ævum sicut prius agant, neque quicquam præter locum commutent. Exemplo sane res non caret, & proficere in re magna, serum nunquam esse debet. Sapientissimos mortalium, Indos esse habitos, iam inde à Gymnosophistis, non ignoratis. Gentem apud eos esse ferunt, Bancanam quam vocant, ea parte quam Guzzarat dixere, qui cum admirandi huius animalis soli prope intelligant præstantiam, fovent, & benigne hospitio indulgent. Cæterum, ut nunc est fœcundum, tot generis propago iam diffunditur.

Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis.

è deserto sacerdotem vocant, qui divinis eos manibus cum cepit, suo capiti imponit, ac deinceps liberaliter educit. Sunt qui captos in parietum ruinis deponunt ac occultant: si quis autem mortem inferre paret dum assistunt, lachrymis ac precibus primum intercedunt, ne videlicet in oculis ac in conspectu suo tantum patrari facinus contingat. Quæ si nihil possunt, auro vitam singulorum redimunt. Hæc si nunquam audivistis, saltem nunc vos tangant, & religione animum commoveant. Miseremini per ipsas eorum umbras ac manes, qui crudelitatem vestram sunt experti. Parcite miseris, supplicibus, victis, consanguineis vestris ac propinquis: qui è vobis nati, à vobis educati sunt. Qui vos colunt, vos sequuntur, vobis adhærent, & fortunam vobiscum utramque experiri sunt parati. Date operam, ne dum solam opinionem sequimini, multis modis à veritate aberretis: aut dum nihil quam persuasionem tuemini, scelere eam cumuletis.

EPICEDIVM CERCOPITHECI DEFVNCTI.

Ad Petrum Scriverium.

ILicet occidimus, nec erant tua munera tanti,
Vt nullos possem Scriveri ducere somnos,
Vt nox tarda mihi, nocte ipsa tardior iret
Importuna dies, tenebras damnamus inertes,
Et tenebræ fiunt invisa tempora lucis.
Sol quoque iam nobis pariter, suavissime, tecum
Occidit, & tecum fugerunt sidera noctem.
Tu domini festiva quies, tu sola voluptas.
Tu post compositas & portus & ocia curas,
Tu blandum solamen eras: tu vespere sero,
Tu cum lux aderat, primoq; rubebat Eoo
Mox ventura dies: tu cum nox lumina cœlo
Spargeret, & terris ignavam induceret umbram,
Hærebas humeris, gremioq; aut pectore nostro.
Quin & adulanti similis, similisq; roganti,
Languentes si forte thorus susceperat artus,
Astabas, pariterq; optabas ducere somnos.
Hac cœlebs mercede fui, nec tædia lecti
Sensimus, & nullas vagitu expendimus horas.
Sed tecum Musisq; simul divisimus omne
Quod somno licuit positu subducere curis.
Mox ubi formosus tenebras excusserat æther,
Ignarus torpore diu fessusq; quietis,
Ad faciles iterum gaudebas vertere lusus:
Ædibus in medijs domino spectante lacunar
Scandere, vel tecto pariter vincliq; solutus,
Arboreos saltu solitus transmittere ramos.
Aut corpus tenui libratum fune per auras
Mittere: non aliter, quam cum molimine docto
Subtilis tremulam deduxit aranea telam;

Iam proprium decurrit opus, conspectaq; longe
Decipit, & filo dubium est tollatur an Euro.
Aut cum iam Batavæ portum tetigere carinæ,
Neptuni de gente aliquis, pernicius aura
Fertur in antennas, rursusq; relabitur ijsdem
Funibus, & vento citius consistit in imo.
Sæpius incertos edebas corpore motus.
Quales sylvigenæ Nysei numina Fauni,
Aut exultantes Satyri, cum corniger Evan
Signa movet, fervetq; æris tinnitibus æther,
Et Naxos saltata Deo, componere gestus,
Et formare modos, agitataq; flectere membra
Gnarus, & ingratas saliendo avertere curas.
Talibus illecebris si qua est aut gratia doctis
Vatibus, & magnos Phœbeïa munera possunt
Exorare Deos, non tu, dulcissime rerum,
Tænaron, & mœsti spectabis limen Averni.
Nec te Cerberei, metuentem incognita quæque,
Terrebunt sonitus, ternæq; in gutture linguæ.
Non patrem Pelopis, quanquam tibi mensa placebat,
Aspicies epulas semper sperare paratas.
Non prolem Danai, tantum pietatis amator,
Aspicies fundo perituræ incumbere lymphæ.
Non Ixonios, imitari cætera doctus,
Spectator repetes totiesq; imitaberis orbes:
Sed mites animas, devotaq; pectora quondam
Artibus ingenuis, nostrisq; ante omnia Musis,
Inter odoratos nemorum gelidosq; recessus,
Et liquidos fontes, æternaq; munera veris,
Et semper virides Musarum præmia lauros,
Lusibus, & vario rerum oblectamine falles.
Cedet Aretullæ volucris Stellæq; columba,
Quæq; senis Teij teneros mandata per auras
Detulit, & blandos domini transvexit amores.
Discedet toto festivus gramine passer,
Cui quondam teneros morientis Cynthia vultus,

Luctibus, & pulchros lachrymis corrupit ocellos.
Cedet & Eous Nasoni missus ab oris
Psittacus, humanas edoctus tollere voces.
Quanquam illi exequias volucrum longissimus ordo
Iuerit, & ruptis nudarint pectora pennis.
Et quem funesto vixisse Papinius ore,
*Pro Meliore suo gemuit, lenisq́; *Secundus* *Lotichius.
Inseruit nullo perituris tempore chartis.
Cedet & ipse tuus, quanquam facundior illis,
Tot lingua mentitur aves, tot murmura voce
Scriveri mutare solet, quot maximus aër
Educat, aut totis errant animalia terris.
Haud aliter, quondam sinuosi in gurgite ponti
Carpathius iuvenis, rerum cui nota potestas,
Et cæcas reserare Deûm per carmina sortes,
Fit fera, fit volucris variumq; abiectus in album,
Sibilat, aut verso mugitus intonat ore,
Aut responsuras latratu percutit auras.
Vix quoque se, quamvis meliori sede recepta,
Se ferret tibi Mæra parem: quanquam aurea nostris
Addita sideribus, priscum fateatur amorem.
Et quæ fallentem reditus agnovit Vlyssem.
Issaq; discedet, victuris lusibus Issa
Vatis nota tui, quanquam omnibus Issa puellis
Blandior, & cunctis lascivior una columbis:
Et nunquam gutta positos decepit amictus
Stertentis domini, colloq; incumbere iussa,
Persensit gemitus, & nota gaudia mentis.
Nec queror extinctum (quis enim crudelia Divûm
Vertere iura potest, immotaq; fata sororum?
Si nati morimur; si nec Sarpedona quondam
Iupiter eripuit, tenebrasque inflexit Averni,
Totq; Deûm nati Phrygio cecidere sub hoste,)
Ereptum Fortuna queror. Sol pronus in undas
Hesperias, toto gaudentem corpore vidit,
Ingentumq; epidis positis, epulisq; remotis,

Et vix subducta choreas deducere mensa:
Idem in tie novo defunctum lumine corpus
Vidit, & indigno lachrymas in funere nostras.
Tum quoque cum Clotho vacuam Lachesisque teneret
Iam fato cessante colum, sævasque negaret
Hac atque illa manus, media plus morte natantes
Attollens oculos, dominum suspexit amice,
Buque vale dixit, blandoque balbutiit ore
Murmura, quæ surdas poterant inflectere cautes,
Et lethi dominas, & fas inamabilis orci.
Tu quoque (sic visum superis, rigidoque superbæ
Stant adamante fores, nec votum ianitor ullum
Crudus & indomitus, Stygias transmittit ad undas,
Extremum extremumque vale, tellusque iacenti
Sit levis capiti, nec dura coërceat umbram.
Quod superest, si non Pario tua marmore surgit,
Et domini sublimis humus testatur amorem;
In titulo vivas, chartaque extabit in illa,
Marmora quod vincat, nec te tua nesciet ætas,
Nec te posteritas avo vixisse priorum.

CENTO VIRGILIANVS

Ad amicum conscriptus, qui postquam ignarus cum ancilla, cum qua tum alij, tum plurimi scholastici consueverant, aliquamdiu congressus esset, solus præter expectationem prole ab eâ est donatus.

Æ.1. *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena,*
B.10. *Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,*
A.3. *Expediam dictis. si*quid mea carmina possunt,* A.9.
A.1. *Musa mihi causas memora, quo numine læso*
A.1. *Insignem pietate virum, tot adire labores*
*Impulerit, * Troiæ & patriæ communis Erinnys.* A.2.
G.2. *Illum non populi fasces * nec ferrea iura* G.2.
G.2. *At secura quies & nescia fallere vita*
B.6. *Aonas in monteis * fatis egere valentem,* A.8.
A.11 *Egregiusq; animi* Lenæum libat honorem,* A.4.
B.8. *Orpheus in sylvis, inter delphinas Arion.*
A.5. *Cressa genus Pholoe * (longa est iniuria, longæ* A.1.
*Ambages) *non illa colo calathisve Minervæ* A.7.
*Fœmineas assueta manus, * nova pectore versat* A.1.
A.1. *Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo.*
A.6. *Stabant orantes primi transmittere cursum*
A.3. *Connubijs arvisq; novis operata iuventus.* A.6.
A.4. *Illa solo fixos oculos aversa tenebat,*
A.6. *Et ferruginea subvectat corpora cymba.* A.10.

A.10. *Tros Rutulusve fuat * hinc hos nunc accipit illos;* A.6.
A.1. *Nuda genu *laxis laterum compagib. omnes,* A.1.
A.5. *Deponunt animos, nil magnæ laudis egentes.*
A.5. *Nec vires Heroum infusaq; flumina prosunt.*
A.11. *Quem telo primum, quem postremum aspera virgo*
*Deijcis? *incedunt victæ longo ordine gentes,* A.8.
G.4. *Quam multa in sylvis avium se millia condunt.*
A.11. *Advenit qui vestra dies muliebribus armis*
*Verba redargueret, *iuvenes fortissima frustra* A.2.
Pectora (Di talem terris avertite pestem!)* A.3.
A.1. *Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,*
A.1. *Se quoque principibus permistum agnovit Achivis.*
A.5. *Olli serva datur, * Veneris iustissima cura,* A.10.
A.3. *Per tot ducta viros, * immani corpore pistris,* A.3.
G.3. *Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.*
A.4. *Connubium vocat: hoc prætexit nomine culpam.*
A.4. *Heu quid agat! quo nunc reginam ambire furentem*
*Audeat affatu? * quis fallere possit amantem?* A.4.
G.4. *Abnegat, & meliora Deos sedet omnia poscens.*
B.10. *Certum est in sylvis inter spelæa ferarum*
*Malle pati, * duri magno sed amore dolores* A.5.
Polluto, notumq; furens quid fœmina possit.
A.6. *Ergo iter inceptũ peragunt. fortissimus heros* A.6.
A.8. *Optatos dedit amplexus: * quem candida Maia* A.8.
A.12. *Voce vocat * subitaq; animũ dulcedine movit.* A.11.
A.10. *Fortunati ambo * risit pater optimus olli,* A.5.
A.8. *Componens manibusq; manus atq; oribus ora.*
A.5. *Nec sopor illud erat. * potuit quæ plurima virtus* A.12.
*Esse, fuit, * fessos quatit æger anhelitus artus.* A.9.
G.3. *Nec mora nec requies, * illinc Germania bellũ,* G.1.

 A.12.

A.12. Hinc pater Æneas,* vasto certamine tendunt. A.12.
A.7. Teutonico soliti ritu torquere cateias,
A.9. Succedunt servantque vices,* amor omnibus idem;
B.3. Idem amor exitio est pecori, pecorisque magistro.
A.3. Heic noctem ludo ducunt, & pocula læti.
A.7. Indulgent vino & vertunt crateras ahenos.
A.4. At regina, gravi iamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis.* docuit post exitus ingens. A.5.
A.2. Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit.* ingeminant curæ, rursusque resurgens, A.4.
A.11. Postquam omnis longè comitum processerat ordo,
A.1. Fit strepitus tectis,* ferit aurea sidera clamor. A.2.
A.4. Terrevoluta thoro est.* non heic te carmine ficto, G.2.
Atque per ambages & longa exorsa tenebo;
B.4. Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
B.4. Casta fave Lucina.* tuis heic omnia plena G.2.
Muneribus.* quæ sit rebus fortuna videtis. A.1.
A.2. Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
A.9. Atque ea diversa penitus dum parte geruntur;
B.4. Iam nova progenies,* cui non risere parentes, B.4.
A.2. (Haud ignota loquor) * cœlo demittitur alto. B.4.
B.3. Dic mihi Damæta cuium pecus?* ocyus omnes
Diffugimus visu exangues.* it tristis arator G.3.
A.10. Omnis & agricola.* veluti qui sentibus anguem A.2.
Pressit humi nitens, tumidum quem bruma tegebat, A.2.
A.8. Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
A.5. Caussa latet:* pressa est insignis gloria facti. A.12.
A.5. Obstupuit visu Æneas, longeque recusat. A.5.
A.4. Arrectæque horrore comæ.* nec iam amplius hasta A.11.
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
G.3. Atque opere in medio defixa relinquit aratra, A.8.

A.8. Sermonum memor, & promissi muneris heros.
B.1. Nec spes libertatis erat nec cura peculi.
A.1. Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit?
A.4. Nusquam tuta fides.* tu post carecta latebas. B.3.
A.3. Ne dubita, nam vera vides,* mirabile donum, A.1.
A.12. Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
B.1. Non equidem invideo,* nec tecum talia gessi, A.9.
A.4. Omnia tuta timens.* non omnia possumus omnes. B.8.
A.8. Accipe daque fidem* duri solatia luctus,
G.1. Ni refugis* pacem æternam pactosque Hymenæos. A.4.
A.1. Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.
B.8. Sparge marite nuces.* nihil heic nisi carmina desunt. B.8.
A.8. Quidquid in arte mea possum* mirabile dictu A.2.
A.9. Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.
B.10. Nec te pœniteat pecoris divine Poeta,
B.10. Omnia vincit amor.* quis enim modus adsit amori? B.2.
A.3. Unum illud tibi nate Dea (* ne temne quod ultro) A.7.
A.3. Prædicam. & repetens iterumque iterumque monebo,
G.3. Turpis oves tentat scabies,* & sæpe sine ullis
G.3. Coniugiis miseros fallunt aconita legentes, G.2.
G.3. Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
G.3. Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas.* alitur vitium vivitque tegendo: G.3.
A.3. Signa tibi dicam:* descendit corpore pestis. A.3.
A.2. Pestis & ira Deûm,* morsu depascitur artus,
A.2. Sacra Dioneæ matri.* latet anguis in herba. B.3.
A.3. Linquere pollutũ hospitium* via prima salutis. A.6.
G.3. Pascitur in magna sylva formosa iuvenca,
A.8. Heic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates.
B.8. Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

DANIEL HEINSIVS DOMINICO BAVDIO SVO S. D.

CLarissime Baudi. Omnium virtutum regina mihi semper visa est constantia, quæ in rebus humanis, magnum illud & divinitati proximum invexit, NON MOVERI. Stare quippe contra fortunam, nemini est datum, nisi qui invicto animo illius ictus excipit ac frangit, & cum natus ad calamitatem sit ut homo, sibi dat quod non accepit. Hæc est illa Stoicorum ἀπάθεσις, qua conditionem numinis invadunt, & mortalitatis leges cum divinitate proxime conjungunt. Fortes quidem viri sed, ut nostri, qui invidiam multorum sibi creant, dum tam alta loquuntur. Nollem etiam lenissimum affectum τὴν φιλανθρωπίαν, penitus excluderent: hoc est generi humano id negarent, quod ab eo nomen accepit. Vtriusque summum temperamentum in te vidimus. Charissimam uxorem nuper amisisti. Commune hoc tamen omnibus fuit tibi. Mortalis quippe erat, & hac lege venerat ut sic abiret. Reliqua vero sunt tua. Ægram animi ac corporis, suavissima allocutione recreasti: nullum optimi mariti officium prætermisisti: abeunti, quia necesse erat, viam quæ ad loca beatorum ducit, quasi digito monstrasti. Cætera boni viri, hoc & Christiani & Theologi fuit. Functam his calamitatibus, lacrimis paucissimis, sed quas partim mæror eliceret, partim animi constantia inhiberet, prosecutus es. Ita quippe maritum agebas, ut te virum esse meminisses: ita constantiæ severitatem tuebaris, ut humani-

tatis

tatis legem non excederes. Aliquot deinde post diebus, funus mortuæ fecisti, & atratus ipse (quanta constantia Di boni!) agmen duxisti amicorum: donec terræ partem sui reddidisti. Ex hoc tempore animum firmare sapientię pręceptis aggressus es, & in usum tuum promere, quæ diu ante eras meditatus. Videbas quippe, ereptam esse quæ jam reddi non posset. Cæterum præsidia in te sita, indidem promenda esse. Ita tecum tandem & festivitate tua in gratiam redire cœpisti. Munera etiam Deorum, quæ solatia humanitatis nostrę natura esse voluit, paulatim adhibere qualis liquor est illius Dei, qui Indorum fines expugnavit. Idque cum judicio & delectu. Neque dubitamus, quin in tantum jam profeceris, ut suavissimum Deorum, ipsum, scilicet Amorem, qui vel ultro te invitat sensim sis admissurus. Certè quicquid usquam venustatum est, cœlibatum tuum decet. Cogita cum qua jam æmitate tibi sit luctandum: quanta tibi in conditione ista adversaria parata sit. Si quæ usquam eximia est forma, ea libertatem tuam provocat, quæ tutorem jam non novit. Si quæ dos est usquam quæ contemni non debet, eam occupare spe jam potes. Et ut possis, imo debeas, domi habes quod reponas: cui plus quadragies samborum est in arca. Probæ monetæ quidem, quamvis vix in vulgus usitatæ. Cætera ut excuses, Baudium aliquem terrarum orbi debes. Quicquid nil agente te elabitur, hominibus perit: qui virtutes tuas à te quidem, sed in alio expectant. Quare cavendum tibi censeo, ne quantum tu cedes, omnium intersit. Ætas abit. quæ ne frustra elabatur, etiam noctes occupandæ sunt. Quod futurum brevi jam speramus. quare etiam ridere ausi sumus. Nam cum reliqua

quæ

quæ dici in luctu ab amicis solent, partim tempus, partim tua nobis præripuerit constantia: plus jam omnes judicabunt esse, quod vel ad lepores usque ood.ruilti. Quos te serio suadente, publico jam damus. qui nonnullum huic scripto, in quo doctam antiquitatem expressimus, precium posuisti. Cui editionem imputabis. Vale Lugduni Batav. ClƆ. IƆ. C. X.

Ad Clariss. virum Dominicum Baudium, in obitum uxoris, Iambi ἀρχαΐζοντες.

SEveritatis temberator & ioci
Venuste Baudi, cuius imbre nectaris
Meroque melle scripta perpluit Venus,
Et dicta, & omne quicquid est usquam tuis;
Non transmarina non Pelasga, sed Quiris,
Remiq; nepris, ipsave Aenea parens:
Qualisq; solis stat videndi Gratijs,
Carens amictus, non venustatum tamen;
Peculiiq; corporis dives sui,
Privaq; laude; non potens odoribus
Offuciaque, quam magis plebes amat:
Quis advocatus non ut expedit Deus,
Expectoravit spiritum tibi marem,
Nervosq; mentis, & lubidinem viri;
Dum fata mæstus comparis gemis tua,
Quam compotivit Aggeruntis Dis pater?
Quæ nunc oberrat regna per Proserpina,
Sacrosq; campos, & Dijs gratum nemus;
Dilecta tantum, quantum ambitur brevi
Aut Phyllis, aut censenda moribus Chloe:
Vel si quod usquam myrothecium videt
Facetiarum Phœbus & Diespiter;

Vel

Vel Lucia mater: sive Lucinam velis,
Quæ partumeis præsidet puerperis;
Fæcundus heros, feminisq; Baudij
Non invidere certus indigentibus,
Quæ te suavi prole mactabit patrem,
Et morsicatim flammeis labellulis
Adlusitabit, & columbatim premet
Os illud ipsis ambiendum Gratijs.
Amplexibusq; vinnulis venustulis
Et delicatis basiationibus,
Catulliana qualis extitit seges,
Dissuaviabit usque: sive cum paras
Quid muginari dulce, sive ingratijs.
Has spe querelas & supercili Chaos
Remitte nobis nec bimater Evius,
Curas edaces execratus, & gravem
Mentis senectam, desit in partes suas;
Præstes chorea, seminarium ioci,
Lusi tribunus, Cypridis coagulum,
Et dux amoris, & choragus gaudij.
Vergensque primum cymbijs pauxillulis
Minutulisq;, rem pitissando gere:
Carchesijsq; littus extremum lege;
Dum nectar agrum vim salutarem fugit,
Minimumq; vitat, & favet doloribus:
Non immodestis non capacibus scyphis,
Hylæus olim quos amabat & Pholus;
Sed parciore, sed verecundo Deo
Ut navita olim palmulis radit solum,
Cautusq; vitat impotentia freta,
Dum ponit unda, dumq; Iupiter pedem
Utrumq; posuit. sive Rheni deligis
Suave nectar: sive quod Celtæ ferunt.
Ni fors Ibera mavelis vel Cretica,
Censor peritus arbiterq; non levis,
Fugaxq; nunquam nec reluctor agminum,

Cum

Cum Bacchus & res strenuum poscit virum :
Sed innocentis gaudij memor tamen,
Et obserata non amicus amphoræ,
Lamnæq; terris quam Deus recondidit.
Sic flore sensim toxicoq; Liberi
Et hoc veneno fascinatoris meri,
Ceu Marsa abactus Thessalaq; nænia,
Inominatus ibit in ventum dolor,
Et anxitudo mentis, & molestiæ.
Hac lege nostram mancupo tibi fidem,
Paratus omne quod moves periculum
Subire tecum : sive parcenti manu
Stat velitari; seu meracioribus
Mentem lubido est sauciare ductibus :
Curasq; & omne quicquid ægrimoniæ est
Primo pedatu dissipare te paras;
Eliminatus ut struat mæror pedem,
Et se relictis migret è præcordijs.
Non inficeti combibonis ut vicem,
Quem non Camœnæ non venustates videns
Xanthiq; potor intuetur Delius,
Uterque Bacchus ante bacchantes eat,
Insaniendo : verum, amabilem in modum,
Et qualis olim fertur antiqui senis
Natasse vertus, Thessalas inter tubas
Et civico cruore manantis manus.
Aut Sophronisci comis ut suevit puer,
Medulla fandi, blanda Siren & Venus,
Nil scire doctus, omnium gnarus tamen :
Quem Cliniæ propago, quem torans merum
Demit severis, & venustis adstruit.
Censen' quid umbra fabuleq; imagines,
Et fastuosæ gens gerat Proserpinæ,
Quos Cnossij quos Æaci damnet forum
Minoisq; diris additus nocentibus,
Curare vivos? An mori virum decet,

Et

Et esse luci quam trahis superstitem?
Trux & severus adsidet furentibus
Mæstusq; semper. Occidit sanguen Iovis,
Et tot sub undis voluit ingentis viros
Liquor Scamandri : flevit immanem Hectorem
Coniunx parensq;. Fluctus ut fluctum trahit
Lunaq; pergunt interire, sic abit
Mortale saclum. Lex venit nascentibus,
Necis potiri, cum iubet necessitas,
Pausamq; vitæ primus involuit dies.
Quod si benignus eiulatum, genas
Et ora turpiore commendet miser,
Puerperaq; vel secundus præfica,
Plangore cuncta mœstus incendas tuo
Lessuq; inani, num minus stat atrium
Crudele Ditis, & riget ferro domus,
Quam triplici cervice pellatrat canis,
Damnasq; longi Sisyphus molimini,
Et insolentis Tantali colit furor?
Vin' esse temere legis æterna exciperi
Tuosque tantum? Fers & expetit tibi,
[illegible] gaudio,
[illegible]
Lætamq; divis interesse cœtibus;
Quæ mille pestis corpore anclavit suo,
Necisq; mille. Nec potentior lues
Vinci dolentem pressit Alcidæ manum,
Thoroque, & acrem pectoris valentiam,
Et discolorem exsorbuit vim sanguinis :
Cum triste munus O Enei partu sata
Eviscerauit bajulum cœli virum.
Sic usque noctu sæviebat & die
Qui viscera olli cæcus ambedit dolor.
Quo victa sæpe, nec potens silentij,
Imposque fandi, sed quiritari memor,
Festivitatis indolem sitis tuæ;
Vagore vitam flebili exitans tibi,

Et

Et ominosis eiulationibus.
Quae noxia esse noxa vatibus solet,
Bonaeq; menti non levem fraudem creat.
Verum ut relabar ad venustates tuas,
Orsusq; socco nil cothurnatum crepem:
Sed qualis olim Davus in scenam venit
Lippum Simonem tangere audax & vafer
Vel quae talento Pythias mungit senem,
Cum captat auras & subinde humum fugit:
Nunc compedum solutus & tristis iugi
Liber vagaris, qui serenus impetus
Et nata magnis indoles mentem trahit,
Dotis benignae candidatus & cliens.
Hanc esse quippe natio mortalium
Aetatis agundae non inutilem autumat;
Et ius fateri est ni Trebatius gravis,
Consultus aequi, iuris antiqui sciens,
Dissentienteis oggeris sententias.
Haec & tepentis suscitabulum foci,
Dapisq; blandae praebitrix est & meri,
Columna vitae, dulce fulcimen domus.
Hoc institores & propolarum manus
Et gens inepta sarcinatores viri,
Copaque avara, maxuma vatum cruces,
Negant negare: quis, venustis versibus
Ineruditam nunquam adiveris manum.
Non sin trecentis quotquot occidunt dies
Puris iambis aut trochaeorum pede,
Amice, places lachrumare nescias
Inelegantes inverecundas aves.
Sic ante doctas excubans semper fores,
Redire certa, dum Moneta fulserit
Regina rerum, maxumi proles Iovis,
Ne forte Divam despuas cimodi.
Non ut severus Euclionis in modum,
Vivus sepultis pertinax nomismatis,

Sed

Sed latus usu, nec molestius promere.
Nunc intueri nec pudor nec fas negat,
Si quid venustum, si quid inclutum veget,
Genasque & ora virginesque pupulas
Coram arbitrari, verbaque elegantia,
Et aestimare si quid in sinu latet;
Sententiamque ferre de tot vultibus,
Quot Cyprus usquam Cypridisque porvidet,
Pedemque figere in puellarum choris
Festivitatis non peregrina virum.
Haec esse quidni suspicer nectar tibi,
Et lac, & omni dulcius papavere?
Si nec leaena nec tibi mammam dedit
Hyrcana tigris: nec ferocientibus
Septentrionis intonata filijs
Immitis unda pectus eduxit tuum:
Sed blanda mater, & Camenarum chorus,
Festivitatis lene nomen insita
Et dulce flabrum. Cynthius tristeis negat
Amare posse, nec favet maerentibus.
Liber severos semovet thyrso viros,
Aptus choreis & suavibus iocis.
Potumque nectar lachrumantibus dedit,
Fugare curas, hoc trucidat vim mali,
Internecatque si quid in venis latet,
Solvitque habenas & guberna pectoris,
Cum lene serpit & cerebri fit potens.
Tum mens vagatur, & Iovis tentat domum,
Velutque nubes inter & vitat solum.
Tum spes amica gliscit: alma Veritas
Tinnire docta quicquid in solum venit,
Fidesque regnat, cornua assumit miser,
Abitque turpis in directum dolor
Haec inter arma blanda Liberi patris
Humens subinde lingua suaviter feret,
Arguta lenis toto pellacis Dei,

Quam

Quem sensit Indus, & minata vim polo
Terræ iuventus, Rhœcus & torvus Mimas.
Ipsasq; voces irrigabimus mero,
Umbramq; guttis: quæ sub ingenti specu
Magnæ parentis sicca temeti iacet.
Vovebimusq;, ut terra tam levis premat
Caput beatum, quam sibi vixit gravis,
Dum dulce cœli lumen hausit & diem
Compos dolorum usque & ægrimoniæ.

V. C.

HUGONI GROTIO DANIEL HEINSIUS S. D.

VIr clarissime. Magis in dies ac magis sæculi huius virtutes admiror. Nihil vetustati debemus, sed lubentius eam laudamus: quæ non majora habuit cõstantiæ exempla, sed quæ cum invidia minore audiuntur. Xenophontem illum Grylli aiunt, cum in re divina filium ætate majorem fortiter cecidisse audivisset, iterum coronam assumpsisse, & Deorum sacris admovisse manum. Q. Marcium Regem, cum præclaræ indolis adolescẽtem amisisset, e vestigio à rogo ad curiam se contulisse, omnes in miraculis habẽt. Amicus noster, eo ipso quo uxorem extulit die, vinum gustare voluit. Inferias vultu gravissimo, sed tamen siccis oculis, ivit: neque ut maritus, sed ut pater aliquis conscriptus, Senatum petere est visus, cum sepulchrum uxoris adivit. Omnia solatia, quę exulceratis adhiberi mentib. solent, ipse occupavit. Nihil amicis in luctu reliquit, quod vel imputare illi possent. Tantum gravissimum

vulnus suum (ita vocat) publico ad Academiam programmate testatus est: & invenit causam, cur non doceret. Orpheum Apollinis & Calliopes filium, sapienter negat fecisse, qui uxoris causa mortuos accesserit: multa enim esse in vivis, quæ levare luctum possint; modo animus adsit, & quæ virum magnum semper decet constantia. Est vicina quædam ædibus ipsius puella: hanc favente Venere & Gratiarum populo esse natam, subinde contendit. Sed in dote vitium est, qua, me judice, illi, & quidem luculenta, est opus. Eodem quo uxorem amisit, tempore, etiam languor accessit: ὀλιγοχρυσίαν vocant. Aiunt medici, eruditorũ esse proprium. Etiam Platoni volunt, Dionem cum peteret, molestum fuisse. Facilius è vultu & pallore, quam è venæ momentis eum deprehendas. Hunc pro cætera constantia aliquanto minus fortiter ferre mihi est visus. Adfui homini, mentem afflictam erexi. Cætera aiebat posse ex animo deleri; remedio autem & quidem præsenti opus esse. Etiam hoc inventum est, quod re ipsa sum expertus efficacissimum esse. Magnum certe usum ἡ χρυσῆς habet. Etiam oculos, quod Hippocrates voluit, plerunque exhilarat. Stabat antea demisso vultu ac tristi: uxorem eius adhuc vivere dixisses. Vix spes melior affulsit, respirare cœpit, & constanter multa de fragilitate vitæ disputare: nemo funus esse in ædibus existimasset. Ego nullum officij prætermisi genus. Iambos ἀρχαΐζοντας plus minus ducentos conscripsi: quos brevi editos videbis. & quidem hac lege, ut & me videas simul. Quod, ut spero, brevi est futurum. Vale, Lugduni Bat. cIↄ.Iↄ.c.x.

In

In obitum Gallæ Posthumi Sicambri uxoris.

Nemo tua melius cantabat Posthume Galla,
Nec magis hac ulli lingua diserta fuit,
Ingenio valuit, quantum, te iudice, nulla;
Iudice te, quamvis aspera, mitis erat.
Cum faciem laudas, te iudice mater Amorum
Cessisset, reliquis pulchrior, alma Venus.
Nec melius stantem percurreret altera telam,
Et minor hac quamvis docta, Minerva foret.
Tam bene quæ fecit quidvis, nunc mortua fertur.
Hoc nullum melius Posthume fecit opus.

SCHOLIVM:

Sive Hymnus convivialis in Amorem, Græcorum more.

Acris ignipotens Amor,
qui per freta ponti,
& terræ sola,
& ætherem vagas profundum:
tibi squamigerum pecu,
tibi bucera sæcla,
tibi sima naribus capræ,
tibi cæsiorum solva vis leonum,
& pictæ famulant volucres:
vage, penniger, sagitta-
tor, levipes, domitor Deorum,
Volcanigena, Venerilligena,
arbiter lubentiarum,
& doloris officina.
namque tuo simul ac
mens saucia deviavit æstro,
sanguen albet, ora pallent,

trepidat

trepidat miser animus.
tum virginibus, si quæ matris
in complexibus hæsitavit, igna-
ra languidi furoris,
rubor puniceus colorat ora,
lacbrymaque prodeunt pau-
latim, doloris filiæ.
te seorsum, magne Divom,
sterilis labascit orbis,
& frangunt elementa fidem,
glutine cuncta tuo, quæ
vincta cohærescunt.
tuis namque pharetri-
potens sagittis,
saucius inclutus aër
dædalam procat parentem:
tum maxuma cæli
porta desuper tonit,
læsusque fulgurat Iovis,
pluvioque rore de-
scendit, & Cererem parit,
& propaginis florum,
vitigenamque liquorem.
at iuvenis, quos facilem
pronus porrigis aurem,
illi pupula flagrans,
vesca, non metuens viri,
molle supposivit
humidumque latusculum,
pedique pedibus pepigit & manibus manus,
ergo petulis ocellis,
& patentibus labris,
quæ risus roseus serenat,
& protervitas grata, ar-
gutula usque & usque
titillat atque adlubescat.

illi

ibi illa mólta, blanda,
delicata geruntur,
membra quippe lactea,
tenera, tremula, liquida,
mollia conduplicantur.
volta iuncta concaleſcunt
teneris cito gemitibus,
concurruntque labellu
purpura flores labellorum.
animaeque murmurantes
tuo volnere victæ
blandos trahunt ſuſpiritus :
donicum reſoluta
languidi cadunt medullis.
adſis ô teneri ſuaviſoni dux bonegaudij,
vage, pinniger, ſagitta---
tor, levipes, domitor Deorum,
Volcanigena, Venerilligena,
arbiter lubentiarum.

FINIS.

IACOBI EYNDII,
ab Haemſtede

NVGARVM LIBER.

D SE.

SERIES.

DE miseriâ Poëtarum, Satyra ad Petrum Scriverium.

Iocus dictus ad sepulchrum equi Oribatis, à Nicomacho equite.

Leontei canis, ab Olympione villico.

Asini Ponocratis, à Cipolo monacho.

Simij, à Plautino Maronio servo.

Noctuæ, à Florâ viduâ.

Galli, à Thessalâ muliere.

Mergi, à Grypo piscatore.

Grilli, à Certaldâ muliere.

IACOBI EYNDII
Ad Clarissimum
PETRVM SCRIVERIVM,
De miseria Poëtarum Satyra:

Cùm eidem NVGAS POETICAS mitteret.

FLos delibate ô Iuvenum, Musæq; medulla,
Parsq; mea, Scriveri, animæ; dum restituis rem
Scribendo Batavam, Comitumq; ex ordine stemma
Traiectiq; sacros Proceres; disconvenit inter
Meq; & te: si mens eadem contraria possit
Esse sibi tamen, & pariter diversa secare.
Commovit bilem in spiramina naris aduncæ
Nostra tibi mora scribendi, quam tu mihi solus,
Tu mihi vel nemo, semper pulmone revellis.
Scilicet antiquum obtineo, ut mores veteres, hoc
Nomine iam multùm monitus, multùmq; monendus.
Improba vitanda est Circe socordia, quam tu
Quicquàm aliud dices, cognata vocabula rebus
Imponens: sed non replenda est curia verbis.

Incipe, fac aliquid : nihil eſt. hic orbibus Orbem
Quantis & quibus impediat polus ignibus ardens
Ructatur; patrem patriæ verùm alter & arma
Alite Mæonio pingit; dat Iulia vires
Ingeniumq́; ſuo vati, cui Cynthia cedat;
Eſt quoque Cœlia cui ſecur ulceret; eſt quoque qui te
Arripuit, nihilum metuens, decumator Eöe.
Quid tu? altùm dormis, pudor (heu) te ruſticus urget.
Qui verſus facere inter tot vereare poëtas.
Hoc éſt, inſanos inter vis ſanus haberi.
Inter ſtultorum iunctas umbone phalangas
Sortiri metuis furioſi præmia vatis.
Di tibi dent quæcunque optes, ob conſilium illud
Cumana folijs exceptum, crede, Sibyllæ
Cumanæ vatis, Iuvenis digniſſime vitâ.
Atque adeò vix huic quicquam diffindere poſſum,
Quin aliquid magnum dicant, vimq́; affere dictis
Credant perpetuam ſummi minimeq́; poëtæ,
Æditus magna Virtutis; ſed temerè omni
Imponas humero quodvis onus. ille per auras
Detonet aërias iaculantem Monychon ornos,
Phryxeum hic vellus, diras Buſiridis aras
Hippodameq́; rotas cum mugitu Labyrinthi
Pierio reſonet litue, quibus inferior vis
Mimisque petens terram Musâ contenta pedeſtri,
Eluviem raptent atque excrementa, poëta,
Vt ſint, quod cupiunt, & lambat lappa ſequaci
Mixta hedera ſtatuas, vel tempora laurus inumbret.
Hi tales faciant cum carmina, triſte bidental
Vtrùm commôrunt, urnâ an minxêre paternâ?
Nam certum hos fierere; aut ſapere ad genium vel Agaves
Vel Iuvenis, iugulo matris qui condidit enſem.
Quid ſperant miſeri? non nunc ieiunia ſolvât
Ilias ipſa; magis telâ vitam tolerabunt
Et lanâ vetulæ, quàm magnus carmine Homerus.
Quarè rectius hi, vano qui rura forumque

Permiſcent ſtrepitu, lucroſoque iurgia iactant
Audaces rabulæ, pretio qui ſolvere peplum,
Aſtræa antè oculos quod multis ſedit ab annis,
Aggreſſi, fecere Deæ nova lumina, quæ non
Ante habuit, Sophie genita, & imbarbe Tonante.
Non hæc mutandis formis indigna Peligno
Fabula. fac actes genetricem huc vertere ab aſtris,
Si nondum pigeat mortalia cernere Divos,
Enceladi credat fœdam Cæique ſororem,
Cui vigiles oculi ſubter, circùmque, ſupraque,
Deieret eſſe ſuam. Peperi te regna tenente
Saturno, Corytumq́; meo cæca antra marito.
Et cæcam, & prorſus nudam, manibusque carentem,
Vnde tot in totum diffuſa hæc lumina corpus?
Vnde Tarentino violas imitata veneno
Atque inluſa auro multitia, galbina raſa,
Cærulea hæc ſcutulata nitent, quibus indueris nunc?
At quondam tantum patrimoni vix ſuperabat,
Frigus quo & ſtomachi latratus pellere poſſes.
Vncus hic unde tibi, milviq́; ſimillimus unguis,
Viſcataq́; manus? quibus omnia tacta flagellis
Mordicùs adſtringis. Quantùm mutata es ab illa
Quæ ſortes dare priſca ſolet, Themis! illa puellas
Quæ docuit Pyrrham per tergum mittere nudas,
Tunc, cùm anima dura caluerunt mollia ſaxa.
Accipe, quæ contrà, matri mala tanta querenti
Reſpondere queat longum ſedantia luctum
Vox populi, noſter venali Curio lingua.
Si natam cupias tam fortem tamq́; venuſtam
Tireſiæ vatis fata, & Colophonis alumni
Ferre tuam, Dea; qui cyathos, paterasq́; coruſcas
Mirari, & quantùm, potuit noviſſe, valerent.
Regnat adhuc coniux tuus, aſt ad prima recurrunt
Principia aſtrorum facies, annumq́; Platonis.
Aurea Saturni ſunt ſæcla reverſa, ſed orbi
Vtilior, Iovis eſt & habere ſcientia & uti.

Laudetur Latij vetus ætas, rustica, simplex;
Nos magis arte novâ & præsentibus utimur annis.
Vos quoque Cœlicolas de cannâ & stramine templa
Despicere, & parvæ stipis æra remittere vulgo
Iuppiter exhibuit; quis deneget? aurea placant
Munera maiori cum maiestate Tonantem.
Degener à tanto tua non est nata parente.
Nam ad faciem quamdiu cœca & vecors fuit istam
Campanâ vappam trullâ potare solens, &
Veientanum, nil curavit Rhœtica vina.
Sed postquàm vidit Setinum ardescere in auro,
Et gemmas pocla, & stantem extrà pocula caprum,
Vt canis à corio, haud potuit depelliер, uncto.
Omnia tum vidit, atque omnia visa petivit
Ipsa sui sectrix; cunctisq́; potita petitis
Plura etiam voluit: sic omnia cepta favore,
Et non iure geri; lite & causâ cecidit, qui
Non primùm obiiceret medicatis frugibus offam, &
Melle soporatam vigilanti antè antra Trifauci.
Hinc ampli reditus; nunc pervolat axe citato
Vicos causidici (cernis) lectica Mathonis,
Venerat ad Batavos cretato qui pede nuper.
Quid reliquum est autem, præter plorare, poëtis?
Mæcenas perijt; pereat quoque turba Maronum.
Vivat, in immensum crescens opibusq́; virisq́ue,
Turba togatorum; consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, & hic in candida nigrum
Vertere, serpentes avibus componere doctus,
Sit patre prognatus Thersite, operámve locante
Designatori ad portandum in busta cadaver;
Est tamen in pretio: sed sit; genus, infima virtus;
Fama malum geminat; differt à laude diserti
Messallæ & iusto Labeonis pectore quidam
Dives de subito, tanquàm de pegmate surgens,
A nobis quantùm distat rota Solis, & Orcus.
Est satis, archetypos pluteum servare Donellos,

Et Castrensis opus, vel pulpita Bartholi habere:
Si spectes hominis cameram, plena omnia Baldi
Invenies cartâ; sed crassum conclude pectus,
Invenies animam gelidam præcordia circùm
Quæ nescire bonas artes, quàm discere mavult.
Quare per dextram precor hanc divosq́; Penates,
Cessa me caris incendere teq́; querelis;
Et posthac à me mandare poëmata noli,
Quam quæ sunt pipere & Venusinâ sparsa sinapi:
Ni tamen exspectes, mea Saturnalia, Nugas.

In quibus, quis non excuset argumenti voluntariâ penuriâ, dictionis siccitatem, imò, ut veriùs dicam, animi trepidationem: dum neque dimitti vult spiritus, ne iaceat versus, neque ille se attollere audet, ne hic tumescat. Difficillimum in talibus tenere modum, & κακοζηλίαν illam vitare, quæ dum plus vult, quàm potest; minùs præstat quàm debet; aut dum plus potest quàm vult, minùs debet, quam præstat. A digressionibus, ad quas confugiunt à materiâ destituti, vel nimiis, vel crebris abhorrui. Et ut verba ad compendium ducam, Nugas meras egi: facient unà mecum, qui ingenij vires acriter intendere volent in his mortualibus. Parùm enim fecisse etiam vetus Poëta dixit eum, qui ad sepulchrum mortui dicit jocum. Vale Ex Arce Raephorstâ cIↃ. IↃ. c. x. Ipsis Saturnalibus.

Iocus dictus ad ſepulcrum equi Oribatis, à Nicomacho equite.

NIl de Cœlicolis, vel dura lege relictum
Fatorum mihi poſſe queri: quodcunque dolendum
Lugendumq́; venit miſeris, eſt funere in uno
Exhauſtum: vicitq́; dolor, victmaq́ue morti
Triſtities, ſenſum luctus, ſenſumq́ue doloris
Quantus in humanas potuit deſcendere mentes.
At vos, quorum animos ardenti accendit amore
Armorum Dea bellatrix, quibus horrida patris
Gradivi placuit ſeges, & laudabile bellum;
Sic benè de vobis mereant præſentia Martis
Numina, ſic nova præteritiq́; tropæa triumphis
Accumulent; vos ſi fatum hoc miſerabile tangit
Ut decet, aſſiduus gemitus, luctusq́; renaſcens
Aſſiduò, largo lacrimarum flumine inundent.
Nec lacrimas quiſquam veſtrûm, & ſuſpiria ſignum
Imbellis putet ingenij; Pœantius heros
Lemniacæ gelido rupes protectus in antro
Voce fatigavit querulâ; ſed Phthius Achilles
Divorum fabricata manu qui mœnia terrens
Horribilis, toties palantes Trõas agebat,
Abducta ſerva Lyrneſſide triſtis, amaris
Luctibus indulſit, late & loca queſtibus implens
Noluit afflictis dudum ſuccurrere Graiis.
Ille iacem Priami vultu commotus, & hoſtis
Indoluit lacrimis, nec ſicco lumine vidit,
Tunc à cæde recens etiam, lamenta iacentis.
Exigit à vobis luctus hoc funus amicos
Communi mœrore datos, communia belli
Teſtantes ſtudia, & communia damna dolentes

Bellatoris equi: nec nobis vernula fletur
Ductoris opprobrium, meretrix vel dedécus armis:
Aſt equus: ad cunctos rerum qui commodus uſus.
Ille oneri, ſellæq́; bonus, natusq́; ſub armis
Inſultare ſolo, modò preſſo ſiſtere curſus
Effuſos, modò laxato protendere freno.
Ille iugo docilis leni ſuccedere ſuetus
Imperio, & curvo proſcindere vomere terram.
Nónne vides quantu animus generoſa triumphos
Concipiat mens antè tubas, quamtoq́ue coronam
In ſeptem circi ſpatijs conamine poſcat?
Nónne vides quanto victor ſublimia faſtu
Colla gerat, vulgique madens ſe venditet aura?
Quòd ſi bella vocent, motus clangore tubarum,
Spumantes vexat frenos, micat auribus, ardent
Lumina, ſaxa ſonant alterno diſſona pulſu.
Hinc ego crediderim ſortem officioſus in omnem
Nempe quòd eſt homini, veteres dictaſſe Camœnas
Humanis membris corpus coàlèſcere equinum,
Inque Pelethronijs Centauros ſaltibus edi.
Nec pecoris dirum eſt funus lugere, quod olim,
Si qua fides dictis eſt allatura vetuſtas,
Difficiles obitus, & Iuli funus acerbum
Ad Rubiconis aquas lacrimis dèflevit obortis.
Affectus animi (nec mirum) pectore in iſto
Humani, æthereoque ſata de ſemine mentes;
Eſt etiam pietas: pietas non diſſona equorum
Senſibus, uſq́ue adeò per ſæcula cuncta animantûm
Virtutis natura parens ſua ſemina fudit!
Ergo etiam Rhebum, tanquàm de ſorte futura
Sollicitum, gnarumq́ue necis dominique ſuæque
Alloquitur fati extrema Mezentius hora.
O mihi corde meo, & vita mihi carior ipsa.
Quid dixi? non nunc vita mihi carior ipsa,
Cùm tadet vita, ſed læto tempore, fortis
Oribates, quò te, me non comitante, tuliſti?

Sic tibi noſtra fides, ſic eſt tibi cognitus ille
Noſter amor? caſúne olim pendemus ab uno?
Hinc quoties mentemq́ meam morientis imago
Nota ſubit, vultusq́ tui reminiſcor ademti,
Vivere poſſe tibi metuo doleoq́ ſuperſtes.
Tu domini, Oribates, doctus ſervire lupatis,
Et molles ſinuare fugas, & carpere gyros,
Mox tantùm admonitus, nullis calcaribus actus,
Suetus eras trepidos curſu prævertere cervos.
Impete diviſas auras, præterq́ fluentes,
Vix aures potuêre pati, vix ſenſit arenam
Vngula, vix ſub ſe volitantia tergora ſeſſor.
Cœpiſti at quoties paſſus glomerare remiſſos
Altiùs ingrediens, pedibusq́ ſonare ſuperbum
Compoſitu, viſi motare cacumina colles,
Et montes tremuiſſe ſono, dùm è vallibus Echo
Alternos ſequitur fractis clamoribus ictus:
Attonitaq́ metu pecudes, pecudumq́ magiſtri
Perculſi, propiùs greſſus conferre recuſant.
Intremuiſſe etiam terram ſensêre polumque
Antipodes, veriti nimborum in nocte tonantes
Alipedes egiſſe Iovem, currumq́ volucrem:
Antiquum ut reparet Chaos, immeritosq́ recurſet
Nox manes mixtura Deis, terraq́ ruinâ
Oppreſſura polos, tecturaq́ ſidera ponto.
Sic mihi tu iuſtis comes ibas ſemper in armis
Nobilis, & ſocias afflabas naribus iras.
Gaudebam adſpiciens oculos, duo ſidera dici
Qui poterant, clarâ nec ſtellis luce minores,
Mirabar curtas aures, & tergus obeſum,
Argutumq́ caput, collum tum molle, iubamque
Denſam, cumq́ altis humeris, longa ilia, ventrem
Compreſſum, caudam longam, clunesq́ rotundos,
Excelſosq́ pedes, femur & ſub pondere firmum.
Talis erat cervice iubam demiſſus equinâ
Infuſus Philyræ gremio Saturnus, & illo

Con-

Conceptus furto, per Theſſala rura ſuperbus
Aures hinnitu Chiron implevit acuto.
Talis erat cùm te luſit dea fertilis anni
Rex maris, invidiamq́ deis factura capillis
Exitiumq́ tibi cirratâ fronte Meduſa,
Horribiles nondum vultu vibrante colubros.
Si magno dictus Conſo Circenſibus, illi
Commiſſi ferum Caius decerneret orbis
Nobilis imperio, caſtrenſi ſcommate notus,
Indignus ſed cui genitor Germanicus eſſet,
Purpureis tectum ſtragulis, gemmisque monile
Baccatum, phalerasq́ ferens, inſignia rubri
Æquoris, Eoi flagrantes littoris ignes:
Aut ſi de palmâ celeri contendere curſu
Humanu monſtrum pedibus voluiſſet Iuli
Cæſaris, aut pretio quo non venundatus ante
Maiori, nullum vectari tergore paſſus
Præter Alexandrum, ternos doluiſſe monarchas
Mundus, & abiuraſſe ſuas, dum prima teneret
Oribates procul antè alios, ſpectaſſet habenas.
Oppida poſt illi, atque adſertas nubibus arces
Molitos, nomenq́ feri ſanxiſſe colonis.
Huic quoque marmoreum ſtruxiſſet equile vetuſtas,
Cuius ebur nitidum, præſepia clara micantis
Distincta argento multus terſiſſet equiſo.
Eſſent Oribate inſigniti Conſule faſti.
Nam nec Maſſagetæ, nec talem habuêre Mycenæ,
Non Numidæ, prænobile equis non Argos alendis,
Non Elis, volucrúmve parens inſignis equorum
Theſſalia, unde viri melior conſueſcere freno
Cornipedes, circumq́ in aperto flectere campo.
Nec talem invenias unde undis impiger errat
Aurifluus Tagus Heſperiis, uſque ad loca primus
Vnde venit Titan, vel qua Nyſæus Hydaſpes
Alluit, aut rubros quo tollit gurgite fluctus
Oceanus, calidumq́ polus devexus in Auſtrum eſt,

D 6 Vſque

Vsque ad Caucaseos montes, & Caspia ponti
Littora, quà refuga miscentur Tethyos undis.
In summâ, quadrupes hoc nostro flumina nullus
Libavit melior, nec graminis attigit herbam
Ergò quid Martis Dinumque, Phobumque, iugales,
Et Balium & Xanthum, geminos Harpyia Podarga
Quos peperit currûs decus armipotentis Achilleis,
Viribus, ingenio, & præstanti corpore victos
Mirêre, aut volucri Iuvenes Aquilone creatos
Si Calaïm Zethemque fugâ prævertere posset?
Non Pylius talem, magno laudatus Homero,
Princeps, clarus equûm domitor, servisse lupatis.
Dixerit ipse suis; videant, qui lubrica primi
Frena Pelethronij gyrosque dedere quadrigis,
Mirentur molem, gyrosque, gradusque sonantes,
Alternisque modis sinuata volumina crurum.
Curribus, & lentis dicat Messapus habenis
Aptus, equosque iugo qui primus quattuor ausus
Iungere Erichtonius, spes hunc superasse priorum
Votaque prævenisse ducum, queis cura nitentes
Pascere equos pulcri fuit in discrimina Martis.
Ergò nec Idæus, nec equorum agitator Achillis
Audeat Automedon, nec Turni auriga Methiscus
Oribati proprios nostro conferre iugales.
Vt, quamvis patrium genus huic sit Cyllarus, autor
Maternumque illi det stemma Aganippidos undæ;
Et licet, æquoreâ percussis cuspide saxis
Scyphius exiliens, divûm in certamine, meus
Thessalicos, Petræe tuo, vexare lupatos
Doctus apud Lapithas, bellis feralibus omen,
Oribati decus eximium sit origine primâ:
Quâ serie inter avos Neptunum atavosque recenset;
Tyndaridis tamen hic à fratribus esset avitis
Prælatus meritis, illum si prisca tulissent
Secula; contentus cessisset Pegasus alis,
Bellerephonteis tanquàm non dignus habenis.

Progenies

Progenies divûm, non te potuêre parentes
Exemisse neci, non triste extendere funus?
At poterant tumulo saltem nos claudere eodem.
Non ego quòd metuam, ne sit post busta superstes
Noster amor, flammasque regi, aut ne pectore vultus
Illic diluerit tranquillæ marcida Lethes
Vnda meos, tibi durat adhuc in pristina sensus.
Id doleo, quòd, cùm faciam tot vota perire
Teque sequi, semper producant stamina Parcæ
Dispensentque mihi hoc ævum, quò tristior ipsâ
Sit mihi vita morâ lethi, memorabile nomen
Egregiamque refers de me Fors invida laudem
Si mihi continuo producis funere mortem.
An veritus Dis ipse pater, volventibus annis
Ne Styga, Tartareæ stagna intemerata paludis,
Cocytum, & crasso squalleatem Acheronta veneno,
Traiceeremt? nauloque senem, qui Portitor amnis
Iura tenet, cymbâque animas in Tartara transfert,
Ipse tuo, Oribates, possem fraudare natatu?
An tibi, quod mage credibile est invidit equorum
Palmam, Nereïdum stabulis nutritus Arton?
An tibi Tithoni præcursor coniugis Æthon
Struxerit insidias? tacitum se, & tardius æquo
Pellicitus stellis, mercede hac funeris ire?
Nam solet ante diem, nondum statione solutâ
Sidera, & hinnitu vigil afflatuque fugare.
Ille etiam roseis turgens spumare lupatis
Luciferi, quo non altus dilectior ignis
Cælicolis; tua fata citis abrumpere vellent
Forcipibus, Parcas intercessore precatus
Est domino: Oribates hac tu subverteris arte?
Hoc miser, heu misero! ante diem miser, occidis astu?
Parte tamen meliore tui post funera vives
Insertus divûm ordinibus proavûmque tuorum
Vita laude tua, &, qua non in origine solâ
Lumine sed proprio gestorum fama refulget.

Quo

Quæ sibi materiam multi, quâ se quoque possent
Tollere humo, petiére, & vitam extendere scriptis
Ausi etiam sæclis hæc consecrare futuris.
Sed tamen, aut illis hoc non concessit Apollo,
Aut siquidem fuerat res his non lecta potenter,
Obruit audentes rerum gravitasq́;, nitorq́ue.
Ipse quoque, Oribates, doleo quòd dicere laudes
Te nequeam dignas, sed cùm sit viribus impar
Illud onus, lachrymas has accipe, dona suprema,
Næniolasq́; rudes, perfecti pignus amoris.
Nam mihi cùm tutæ desint in carmine vires,
Deterere ingenij culpâ quod iure mereris
Ah timeo, & tenuare modis insignia parvis.
Inficior, nec te dignum meliore sepulcro
Quàm vel equum Augusti, vel quos texêre superbis
Nobilium tumulis monumenta perennia equorum
Pyramides, celso ferentes culmine cœlum.
Vel quos regali sumptu pendentia in ipso
Aëre dicuntur concludere Mausolea.

Leontei canis, ab Olympione villico.

QVamvis curarum depresso fluctibus atris,
Ante expectatum, mihi turbida funere mens sit
Et cari canis exequijs; tamen intima planctu
Pectora concutere, atque in luctum ducere voces,
Et lacrimare iuvat: qualis philomela sub umbrâ
Multa gemens sedet arboreâ, mœstoq́; requirens
Amissos cantu fœtus, miserabile murmur
Integrat, atque implet noctem, quàm longa, querelis.
Vel qualis residens in summi culmine tecti
Dira soror deflet scelerati furta mariti
Bistonis, innocuo quoque nunc, respersa cruore,

Sed quæro, nec digna meo lamenta dolore
Inveni: non blanda velit si præfica, cygnus,
Eridani ad ripas, extremum dicere lessum
Funeris ipse sui; non si Ceyca quieto
Alcyone pelago, planctumq́; iuvantibus undis,
Lugeat, infidis nunc audens credere ventis,
His possint præbere modum: tamen edere quiddam
Est animus, quod constipatum pectore luctum
Exigat, infixumq́; dolorum degerat agmen.
Heu! valeas, nunquàm, mihi care, vidende, Leontei
Nec posthac visure diem; te perpetuò nox
Vna premet, postquàm semel occidit una tibi lux.
Nos vitam trahimus, nos vescimur ætheris aurâ,
Dum Di quippe sinunt; veniet sed tempus, & instat,
Quo tecum visenda palus, ubi Portitor errat
Tartareus, cymbâq́; animas iam lumine cassas,
Iam dulcis vitæ exsortes, in amœna vireta
Fortunatorum nemorum, Elysiumq́; remittat.
Tu comes hic animis felicibus additus ibis
Maior; at, in thalamo cessit custodia pernox
Si tibi Persiphones, iterùm violenta timentis
Herculis imperia, & custodis vincla trifaucis;
Excubias, placidus regalis ianitor aulæ,
In statione tuâ peragas; ille horridus alter,
Tergemina hirsutis attollens colla colubris,
Latratu miseras æterno terreat umbras.
Intereà, si quid sensûs post ultima restat
Fata tibi, curæ quò respondere priori,
Et veterem exæquare queas defunctus amorem,
Audi me; quasq́; inferias, solatia fundo
Manibus æqua tuis, vel nostro dico dolori,
Accipe, dum genus omne, tuâ cum laude, caninum,
Cum canibusq́; tuas, ad bustum hoc, effero laudes.
Hoc animal, teneri iam primâ ab origine mundi,
Rerum opifex varios hominum formavit ad usus,
Et prudens, fidumq́ue, vigilq́; in commoda nostra

Inſtituit, num nocte lupus vaſtaret ovile
Incuſtoditum, quem cæca ad pabula ventris
Exegit rabies, errat pecuaria circùm,
Latratuq́; canum inſomnis ni cura reſiſtat
Sperniq́; gregemq́; ſimul ieiuno dente trucidet?
Nonne capræ vites, urſi plantaria nudent
Corticibus, rumpantq́; fugaces omnia cervi.
Diripiantq́; domos, & primo prodita ſomno
Perrumpant fures penetralia, nocte ſilenti,
Atque impacati turbent pecuaria liberi;
Pellantur ni rure canum latratibus acti?
Æripedes tauros & debellare leones
Vaſtâ mole potens & acuto dente Moloſſus:
Ille volutabris vi pulſos egerit urſos;
Et pecoris pullus generoſi, audebit inire
Cum quocunque velis, non æquo Marte, duellum.
Petronij volucris ſed cedit gloria curſus,
Impetus excedit Zephyros, & fulminis alas.
Aſt Metagon latebras & luſtrat nare ſagaci,
(Prima lucis opus) ſtabula alta domosq́; ferarum:
Deprendat ſi forte, novo veſtigia Sole
Intemerata legens, aut ſi contingat odore
Indagare ferum, quem nunquam comminùs hoſtem
Audet adire tamen, contentus prodere voce.
Aſt perdicem alij longinquo fallere gyro
Cura venit, roſtroq́; auras captare recurſu
Innumero, inventamq́; ſuper conſiſtere prædam,
Et tacitè truncâ teſtari gaudia caudâ.
Sed non una canum laus eſt, audacia præceps,
Venandiq́; ſagax prudentia, viſq́; ſequendi;
Obiectent pro vitâ hominum quòd corpora telis,
Pro dominisq́; petant pulcram per vulnera mortem,
In fidei exemplum Lycij ſit Iaſonis ille
Funere nobilitatus, & alter funere Regis
Lyſimachi, canis aut Volcati cauſſa ſalutis.
Eſt quoque qui domini ad buſtum, flammasq́; rogales

Hæret;

Hæret, & ad cineres ſenſim tabeſcit heriles.
Caſtra alij Martisq́; vices obière tubarum
Exciti ſonitu, vigileſque acieſque locârunt:
Hos Colophon ſocios belli, hos gens Caſpia ſumit,
Et prædæ, tumuliq́; æquos largitur honores.
Plurima, digna tamen credi, & iam fama vagatur
Exilio revocaſſe canes, duxiſſe penates
At patrios regem Garamantum, atque agmine denſo,
Victores, hinc inde acie ſtipaſſe frequenti.
Non ſemper mendax, Iovis incunabula, Crete
Si poſſit feciſſe fidem, cuſtodibus illis
Auratam ſervat divûm, à prædonibus, Aedem.
Hiq́; Tyanæi ſtupefacti ad verba, loquentem
Agnovêre, datum nam res divinitùs ollis
Noſcere præſentes, & præſagire futuras.
Nempe canes dominos novêre, & plurima noſtri
(Si quis ritè notet) ſervant veſtigia ſenſus:
Sed quoque ſponte ſuâ, vel non ſine numine divûm,
Oblatos temerè, per ſe, ratione latente,
Diſtinguunt, interq́; viros diſcrimina ponunt.
Soli nempe canes omni commercia vitant
Cum pecore, humanaq́; colunt conſortia vitæ.
His & præteritum manet altâ mente repôſtum.
Annos Troia decem tenuit Laërte creatum
Exilium totidem, cùm tandem exire caminis
Fumum de patrijs, poſt mille pericula, vidit;
Munere Palladio tenues arctatus in artus
Os humerosq́; ſeni ſimilis, mendicus, & ipſi
Penelopæ, non Laërtæ, non cognitus ante
Telemacho, ſoli non ignorabilis Argo;
Argo, cui tremulus iam nunc tardante ſenectâ
Greſſus erat, lippusq́; effœto corpore viſus.
Cuius in effigie venturum mittere in ævum
Ipſe ſuum voluit comitem, potuitque, poëta;
Nam duxiſſe canem, cùm noxia ſpicula ocellis
Condit apus fera, credibile eſt Colophonis alumnum.

Ille

Illi etiam interitu crebrò mortalibus agris
Subvenêre suo, & posuêre in pristina vires.
Namque canis rabidi caput à cervice revulsum
Proderit in cinerem subiectis urere flamis:
Dentibus hoc nullus pituitæ tabe cavatis
Pastillus melior: sed si spumantia lactis
Illius pressis manabunt flumina mammis,
Lac prodesse potest; hoc non præsentius ullum
Auxilium auriculæ collectâ sorde dolenti.
Nec minor est dentis virtus: tum corpora tanti
Momenti, ut magnis regali splendida luxu
Apposita ex illis olim sint fercula Divis.
Hæq; dapes, structa & plenis convivia mensis
Placârint fixas animis cœlestibus iras.
Tantus amor Superis, queis divi pocula sordent
Nectaris, æthereæ & succi spernuntur opimi
Ambrosiæ, cùm sit se epulis explesse caninis.
Hos, homines, genus inferius tanto ordine Divis,
Abiectos, animasq; putent nil laudis egentes?
Temporibus fuit at melior sententia priscis
Ad Nili caput ignotum, quibus imbuit agnus,
Iside cum magnâ communia sacra Serapi,
Fronde piâ Canibus velata altaria Divis.
Nec quæ causa aris imponere suasit honores
Parva fuit, nam primæ dedit documenta vomendi,
Quâque viâ, si quando epulæ nocuere repôsta
Corporibus, vel Mæonij carchesia Bacchi,
Effundi possit sentina, & inutile pondus.
At quæ Pellæo gens est vicina Canopo
Omnis, in hac solâ certam iacit arte salutem.
Non meliora etiam possint medicamina membris
Aut Chiron adhibere Amythaoniúsve Melampus,
Pocula si quando sævæ per carmen & herbas
Infecêre, scyphisq; dedere aconita novercæ;
Quàm cane mactato, mactati & sanguine poto:
Sanguis enim ille sanis membris aget atra venena.

Pelle etiam manibus velamina sumpta canina
Nodosam lenire valent medicina chiragram.
Non nunc purpureis esset lana æmula flammis,
Ni canis in ponti fregisset littore concham.
Quiq; color regum divûmq; exornat amictus,
Est canis inventum: maior reverentia sceptris
Maiestasq; venit solijs, hoc munere, summis.
Nec merces merito periit, nec gratia facto.
Est rosa, quæ Paphiæ vix distat flore, colorem
Nam similem folijs, & formam servat eandem,
Rarior hæc si non nomen Silvestris haberet,
Illa Deæ à spinis esset signata cruore:
Hanc Superi vovere Cani, votiq; dedere
Nomen in auspicio, lætiq; Cynorrhodos hortis
Addita, sparsa levi, inventoq; nitentior ostro est.
At regalis honos, mortalibus altior exstans,
Non illi grates quoque solvere turpe putavit;
Nec voluit seris ignota nepotibus esse
Fidorum benefacta canum: monumenta fatentur
Marmoreis insculpta notis, affixa sepulcris.
Atque etiam Parijs excisæ rupibus alto
Culmine, quas tumulis grati posuere, columnæ.
Nunc age, naturam quam Iuppiter ipse Leonteo
Addiderat, satis est perstringere, non ego ficta
Lectorem per metra, aut longa exorsa tenebo.
Nam pars summa mei sæpe hac meminisse doloris.
Perpetua, ille, sui generis laus omnibus una est,
Extremumq; decus, Troiani nominis hæres,
Inclita progenies Hecubæ, post Pergama victa
Fatorum leges alias, nova fœdera rerum
Experta, vultusq; feros: nam regia coniux
Ad Priami cineres latrans, circùmq; ruinas
Exululans proprias, Troiæque, sibiq; superstes,
Tunc etiam fœcunda fuit, submissaq; gentis
In spem Dardaniæ, generando pignora certa
Suffecit varia è varijs, sobolemq; Leontei

Continuam nostri prorsum deduxit in ortus.
Virtus sæpe fuit generis nota: gloriaq; illum
Adserere Hectoridis potuit generosa duelli.
Grassante oppressus quoties latrone viator
Et quæcunque tuli mecum direpta fuissent,
Illæsus tanto-ni defensore redissem?
Meq; dolis medium positis per tela per hostes
Expediens, statuisset avito limine tutum.
Ante quater quàm Vesper Olympum clausit, equorum
Et toties Phœbus solvit spumantia colla,
Fudit humi nuper bis septem ingentia aprorum
Corpora cum catulis, victor, qui rura domosque
Grisonum multâ vastabant cæde cruenti:
Quiq; expectatâ vacua horrea fallere messe,
Quique solent Cererem in teneris prævertere culmis.
Non pecudes servare suas pastórve, canisve,
Non ipsi sese poterant defendere tauri.
Postquàm ergò tanto arrisit fortuna labori,
Pulvere, & hostili fœdatus sanguine, terram
Mandere, respiciens prostrata cadavera retrò,
Assultare mihi, non destitit, ipsaq; plantis
Effodiens meis vestigia, corpus in orbem
Corripere, erectasq; adpressis naribus aures
Tollere in attonitum, defunctaq; monstra timentem.
Vocibus at plebs cuncta bonis, plausuq; frequenti
Lætitiam testata suam, mirataq; membris
Corpora trunca suis, monumentum nobile pugnæ
Et rerum seriem gestarum incidit in ære.
Viribus usque adeò rerum prudentia maior,
Et vastum ingenij superat sollertia robur.
Sic, quàm mole, parens natura potentior arte,
Huic dederat patulis spirantes morsibus ignes;
Fuderat & calidum circùm præcordia sanguem:
Quo validis latum surgebat pectus ab armis,
Quod motus capere eximios, siccisque lacertis
Sufficerat solidos præstare in prælia calces:

Cauda brevis, longumque latus, neglectaque collo
Cæsaries, oculique truces, sed lumine quali
Sustinet igniferos Solis, Iovis armiger, ales.
Illi pellis erat rubescendo fulgida villo,
Vivaces quali cervos natura colore
Pinxit: & addiderat villosas frontibus aures,
Candidaq; adstricto succinxerat ilia ventre.
Talis Alexandro, diversi à finibus orbis,
Muneris eximij certamen, pignus amoris,
Missus erat catulus, non illi dama lepusve
Præda fuit, rapidis concurrere morsibus hosti
Imbelli, tauro quoque dedignatus & urso,
Servabat tantùm generosa in vulnera dentes:
Obfuit ipsa sibi virtus; nec regia verè
In cane prospiciens naturæ munera princeps,
Iusserat, ignavi prætextu, occumbere fortem.
At cùm successit simili de stirpe priori
Alter, in orbatas ausus prodire leænas
Cominùs, & strato vires elephante probare
Indocilis leviora sequi, miratus amavit
Rex animum, culpamq; suam cognovit in illo.
Si genus haud sit idem, saltem cognata Leonteo
Mens fuit, alta petens, animosa laudis amore.
Non illum dare terga retrò gravis ira luporum
Compulit, aut fervens furiata tigridis ardor,
Ast hœdis custos vigilabat mitis, & agnis.
Torvus in iratos, sævusq; in sæva merentes:
At placidus, tremulâq; solens occurrere caudâ
Ingenuis, licet ignotis, & blandus amicis.
Talibus innocuè Latonia virgo Molossis
Traderet in varias laniandum Actæona partes.
Nec talis quæ dira Lini depasta cruento
Membra Crotopiadis laceravit turba palato.
Fata cothurnate & vates consortia nunquam
Esses sortitus, si talia corda ferarum,
Quæ te letifero morsu petiêre, fuissent.

Tempora si nunc illa forent, servasse cadaver
Icarium queis fertur, & inter lucida latus,
Numine Cœlicolûm, canis Erigoneius astra
Hic ubi, nunc etiam, terret, necis ultor herilis,
Agros, & fontes inimicâ luce colonos:
Hoc staret nova stella loco, miratus Olympi
Sub pedibus cœleste solum, formasq; Leonteüs
Astrorum, variasq; vias: sed lumine terram
Lustraret meliore nitens, sed mitior undam
Attraheret, biberetq; salubres fontibus ignes.
Addere iussit amor, prohibet dolor addere plura,
Nam cum voce animus cessit, luctuquê refugit.

Asini Ponocratis, à Cipolo monacho.

Carmine mireris, quo Di, genitiquê Deorum
Progenie Heroës, & tristia bella canuntur,
Hoc ego, stridentis stipulâ si, indoctus, Aselli
Disperdam misero lacrimabile fatum ululatu.
Res nova: sed sæclo res intermortua nostro
Simplicitas, dotesquê fert me talia cogisne
Moliri, &, mihi quæ non rarò alimenta dedêre,
Servitium, virtusquê, catenatique labores.
Quisquis es ergò, hospes, veterem oblivíscere morem,
Deme supercilio nubem, virgamquê severi
Censoris depone, simul sociusquê doloris,
Si quod adhuc morum & vitæ sine labe peractæ
Est pretium, nos flere iuves, manesquê vocare
Ad tumulum, tumuloquê novissima dicere verba.
Ante alia Arcadiæ sed nos pecuaria, & Antron
Ingenti clamore vocant, Asinique propago:
Mox tamen ingeniumquê sagax, quodquê indole maius
Humanâ, mox utilitas, & rara voluptas

Ex hoc, dum vixit, quas sæpe Ponocrate cepi,
Expedienda mihi: trutinâ quæ ponderet æquâ
Si quis, & hinc animi dotes, hinc corporis addat,
Cogetur lacrimis saltem subscribere nostris.
Principiò, pecoris nostri quis commoda fando
Explicet, aut possit verbis æquare medelas
Queis vitijs hominum & morbis succurritur ægris?
Quem tantùm insano iubet indulgere labori?
Non mihi si linguæ centum sint, ora quot Argo
Lumina, quæ totum per corpus sparsa loquantur,
Pharmaca quot præbent Asini percurrere possim.
Dura lepras arvina potest, & missus ab aure
Sanguis, cottidiè nascentem sistere febrim.
Vesicæ vitium renes; iecur eximit assum
Herculeum; maculas urinâ & bile fugabis.
Non obscura etenim est de coniuge fama Neronis;
Quæ benè inuncta Asinæ potuit formosa videri
Lacte, senectute & rugas deponere aratas.
Lacte dysentericis minùs intestina dolebunt.
Ossa dabunt Lybico pretijs non dente minora
Organa, Terpsichore quibus æmula vocibus edit
Humanis, resonis quæ Euterpe & flatibus urget.
Hinc Asino lyra nota suo; hinc ad sua promtus
Ossa, docet dulcem namque illos Musica cantum,
Datquê alacres animos medijs infixa medullis.
Dens erit arrosus, certis distinctus ocellis,
Alea, quæ vacuet fallaci scrinia casu.
Illius expensâ crepitantia pelle teguntur
Tympana, quæ accendunt geminato prælia pulsu,
Corpore ut in tanto nullum sit inutile membrum.
Mitius ingenium non possidet ulla ferarum.
Coniugijque ferunt in pignora nata parentes,
Humana in sobolem nec cura est maior, amorem.
Suppetias illis medium qui ferre per ignem
Suaserit, &, memores catulorum, Gargara cogat
Et superare salum, & vitæ discrimen adire.

Conveniens animo genus est: peperisse per omnem
Namque hac sola potest generis spem femina vitam.
Cura minor nulli dapibus se explere paratis.
Prandia non illi cura Cerealia, cellis
Nec laticum depromtus honos testisque Falernis:
Exemisse famem in potis est cibus unus, acutis
Carduus exsurgens spinis: qua flumina prabet
Pura Thetys, quando venis situ ignea cunctis
Acta, laborante fauces exurit anhelos,
Vix linguâ libat summâ: nec iuncea virgo
Reddita, cui gracila ut fiat, potusque cibusque
Subtrahitur, vincto qui possit pectore amare,
Sic biberit, labrisque modestius applicet undam.
Nam non lascivos imitatur bestia mores
Nostra canis, patulo qui lymphis iniicit ori
Exsertâ dentûm per aperta repagula linguâ:
Aut ut equus, totum plenis non proluit undis
Sinciput; aut ut aves, ad cœlum guttura iactat:
Sed laticum summo tenuis attrahit ore liquorem.
Tristis ad illius nares odor advolet, altiùm
Ingrediens, patulis captabit naribus auras,
Aëre ut expellat, graviùs spirantia, suavi.
Ille metus omnes, & avari ridet Averni
Murmura, & affectus mortales exuit omnes.
Nam cùm fuste canis tactus ploratibus ades
Impleat; & per aperta volans equus aquora, dictam
Ad metam sudet, levibus calcaribus actus:
Cùmque pedo tandem gressus conferre iuvenci
Et campum glebis discant invertere fractis
Servilis produnt pecudes ha signa timoris.
Ille sed impavidus stimulos, & missile passus
Calcar, & obiiciens duro sua corpora fusti,
Nil timet: hirsutâ sed verbera pelle repulsa
In ventos abeunt, nec quicquàm ligna sine ictu
Instant, & solito perniciùs urget agaso.
Hac ratio est, quare Hebrais doctoribus, eius

Fertur adumbrari sub imagine, candida mentis
Integritas, quàm nec fasces, nec purpura regum
Flectat, & ipsa suas cohibens Patientia vires.
Issacharque hinc ipse pater quòd fortis Asellus
Oraclo dictus sancto, quem postera sacli
Relligio Zelata, pij prabere figuram
Commentata viri, voluit nos credere, in illo
Mirari Claustra, & varios debere cucullos.
Idque sibi plaudunt, & res hac digna triumpho
Loiolis Socijs, quod dici de grege possint
Quadrupedis nostri, nam fulta hoc congrege secta est.
Ingenium quia sit credo, & rationis imago
Humana, maior brutis divinitùs illi:
Quâ sciat alternâ requie reparabile robur
Corporibus, nil continuo satis esse labori.
Nulli ideò generi in terris minus obfuit imber,
Vel pecudum pestis, vel livida fuste cicatrix.

Nec minùs ex illo certis cognoscere signis
Instantes poteris pluvias, hiememque futuram,
Quam postquàm fugisse grues hanc vallibus imis
Aut si quando vagum cernes, ardente lucernâ,
Scintillare ignem, & putres coälescere fungos.
Auribus in terram cùm primùm longa per arva
Pascitur itque pecus dimissis, omnia plenis
Continuò fossis natitantia rura videbis:
Et nasci Boream, pluvio qui frigore nubes
Parturiat, gravibusque insanos nubibus imbres.
His moti quidam signis, dixère dedisse,
Nascitur ut medijs illius Musica costis,
Et totos dispersa velut Medicina per artus,
Vraniam atherëi stellarum dogmata motus
Auribus, hisque animi motu pradiscere certo
Posse Notum arboribus, segeti, pecorique sinistrum,
Occultumque malum agricola, cœlique ruinam.
Sive quod has quondam gessit Berecynthius heros
Munere, Phœbe, tuo, proprijs incautius usus:

(Traxit enim in ſpacium, villisq́; albentibus implens,
Inſtabiles dedit eſſe aures, & poſſe moveri
Cynthius, audentes cithara proferre cicutam)
Sive quòd alitibus, pelagique animantibus alti,
Et quæ terra fovet, præſago dædala ſenſu
Conſuluit natura parens; venturaq́ue nôrunt
Evitare mala, & ſua commoda bruta ſequuntur
Sponte ſuâ: tibi quæ, primævæ ô Mentis imago,
Nata deûm penetrare domos, hic diſſita nectens
Mole brevi, formante Deo, confinia mundi,
Omnia perpetuis involvit noxa tenebris.
Nuncq́ue tibi ingenij ſollertia præſtitit unum
Scire, nefas & inane merum, quod ſcire vocamus,
Niteris in vetitum tamen, & gravioribus urges
Ad decus ardentem ſtimulis veſana cupido.
Qualibet, hac ut fraude dedit natura vel arte,
Imperfecta ſuis accedere ſemina votis.
Quippe levis, puroq́ue Dei de lumine fulgor
Corporeis clauſus vinclis, maſſâq́ue gravatus
Terrenâ, petit ima frequens, longèq́ue remotus
Exul agens, ſtudio ſemper ſe quærit inani.
Quærendi non una via eſt: velut apta ſerendis
Frugibus hoc cultura loco eſt, felicius uvæ
Hic veniunt, omnis non profert omnia tellus:
Sic animis diverſa utrûm provenit habendi
Noſcendíque, vetante Deo, ſitis; improba poſtquam
Deluſit pulchri ſpecie Titana voluntas.
Incubuitq́; mari & terræ, velut agmine facto,
Morborum ſimul omne genus, quæq́; ordine fixo
Non niſi ſupremæ ſpectabat fata ſenectæ
Exſeruit Mors iura procul, ſpecieſq́; nocendi
Invenit varias, nec ſe cognovit in illis.
Quæ fuit illa dies, examina tanta malorum
Prima videns penitùs membris incumbere noſtris?
Quæ, Superi, cauta nequicquam voce Promethei
Admonitum domi Epimethea luſit Erinnys?

Sicq́ue parum ſibi viſa nocens, obiecit inanis
Notitia tenebras animis, & dulcè-furentis
Tormentum deſiderij lacrimabile flama
Iapetionidæ? ſummis cùm pyxidis intùs
Intercepta labris, ſpes ægra pependit, & extrà.
Hinc fera terrifico promittunt bella tumultu
Directaq́ue acies, infeſtiſq́; obvia ſignis
Signa, decus laudemq́; viris; terraq́ue teneri
Metis indignatur ovans mens, concipit orbis
Intima flammiferi penetralia; Iupiter aulæ
Excidat æthereæ ſolio, ni ſaxa ſub Ætnâ
Eructet, flamasq́; fero vomat ore Tiphæus:
Parte aliâ, ingenio, penetrare, atque abdita rerum
Indagare parat, quarum Deus ipſe receſſus
Texit, & æternâ cauſſas caligine merſit,
Ut fingat ſibi quiſque deos; divinaq́; famæ
Materiem cupit eſſe ſua, dum quippe probatâ
Dogmatis inventi incedat novitate ſuperbus.
His tamen errorum in nebulis, interq́; furoris
Intervalla datum eſt radios ſi noſcere veri;
Quid mirum didiciſſe pecus, quod tergore ſemper
Doctores vexiſſe ſolet, ſtratiſq́; decoris
Excepiſſe Sophos fulgenti molliter oſtro,
Tantorum inter ſe pugnantia dicta Magiſtrûm?
Dumq́; viam properat paſſu conſtanter eodem
Ire ſuam, ſecum meditatum, oſtenta ſedentûm?
Nullum etenim bibulis animal ſubtiliùs audit
Auribus, aut ſentit rimoſis doctiùs antris.
Hinc, quodcunque Scholæ Stagiræ fertur acumen,
Quaq́; Academiacûm virtus, & docta Lycæi
Regula, quique Stöâ fatorum diditus ordo,
Quorum terrigenas iuſſis, maneſq́ue neceſſe
Eſſe ferunt, ipſumq́; ſimul parere Tonantem,
Poſtquàm dîa polum & terram ſemel aurea vinxit
In ſeſe ſemper redeunte ambage, catena;
Omnia nota fero, memori tenet inſuper arte

Docta Samornæi sobolis commenta Blosonii.
Ille etiam toties cathedris iterata, capaci
Auriculâ Ammonii tacitus præcepta recepit;
Cum condiscipulis, & Origine, & inclita nomen
Purpura cui Tyrio violas imitata veneno
Imposuit, studium exercens commune duobus.
Sed neque Philosophus stetit hic labor; est tibi, Luci
Ira Deûm, à serâ quò posteritate perenne
Nomen emas, possisq́; virûm volitare per ora
Arrepta è trivio miserandæ sortis Aselli
Fabula, te deinceps pede dexteriore sequutus
Graius Apuleius, servans vestigia prima,
Materiam, quâ se quoque tollere posset, eandem
Invenit, fecitq́; iocos, & verba Latina.
Quem sic credibile est, cùm vox sonat, Ite profani.
Ad Pharia sacra sistra deæ, quæ flumina Nili
Vacca bibit, nunquam potuisse venire, priusquàm
Corpore Philosophi posito, sumsisset aselli.
Vt tua, magna Ceres, secreta, atque horrida longâ
Relligione sitûs, & fidi sacra silenti,
Submovêre mares etiam, qui accedere tentant
Attonitos facit ipse locus, nec vasa sacerdos
Committens gestare viris, committit asello.
Quippe animal nullum Superis Erymantide silvâ
Gratius, ut vultus, atque induit ora Lycäon
Fœda lupi, natamq́; suâ cum prole, levatam
Iuppiter è terrâ felicibus intulit astris.
Inde lupos feritas, vetus at miseratio nymphæ,
Vrsarum genus omne deos odisse sub istis
Saltibus admonuit, damnumq́; rependere terræ,
Per fœta eximia pecuaria laudis, onagros.
Ipsa Ceres igitur, fratri testata favorem
Arcadiæ, nam terra Iovi non carior ulla est,
Eligit hinc testem sacrorum, onerumq́; levamen
Cùm niveâ matres velatæ corpora veste
Agri primitias dant illi, & spicea serta.

Post puras, viduasq́; novem sine coniuge noctes.
Hæc super ingeniis pecudum; nunc tempus ad ipsas
Virtutes, laudesq́; Ponocratis ire Camœnæ.
Qui mihi, perpetui, ut superis concessit ab oris,
Luctûs causa fuit, nec adhuc est certa dolorum
Vel mora vel requies; & ni me numina divûm
Respiciant, miseræ quæ restant tædia vitæ
Damnata, usque traham in tenebris gemituq́; perenni,
Dum me reddat ei, & iubeat mors dira silere.
Arcade progenitus Barthaldo, in origine quartâ
Maternum genus ad geminos referebat asellos,
Qui merita ob præclara solum cœleste pererrant.
Vt quoque si virtus dubitabilis esset in illo
Esset nobilitate potens, sed stemmate fama
Nominis haud indigna fuit, quam pectore fas sit
Concepisse magis, mihi quàm datur ore profari.
Hinc quoque nec grates puduit piguitve referre
Viventi, & post fata rogo, memoriq́; sepulchro
Quâ licuit; meritis quas si non dixeris æquas,
Indignas tamen esse neges; fastigia rerum
Noscenti satis esse potest mea vota notasse.
Compositum melius, nec Daunia terra, nec ipsi
Stemmate nobilius pecus eduxêre Calabri.
Ergò, sive stipem per agros & rura petendi
Officium sortitus eram, seu iusserat Abbas,
Forma, & dexteritas, & rara Ponocratis huius
Gratia, relliquias sanctas, cariosa Sacelli
Commendare putris poterant emblemata cistæ.
Nam pompæ decus ille suæ, comitumq́; suorum,
Ibat conspicuo gestans redimicula collo,
In sese ora trahens, ut rustica amore videndi
Gens fremeret, ruerent vetulæ, innuptæq́; puellæ,
Et lætæ, quæ cuique foret data copia, ferrent
Munera, gauderentq́; manu contingere funem.
Illius ut clamore cavis mugire cavernis
Antra solent; genus è silvis & montibus altis

Ad nos excitum accurrit, sine more, Pholorum.
Omne adeò nemus, aut gressum quoscunque tulissem
Per montes, plausu, & studijs resonare sequentûm,
Volvere & inclusam spumantia littora vocem.
Singula quæ memorans, præsentio corde dolores
Innumeros, numerò fugit æger spiritus auras
Et vix restat amor cæli convexa tuendi.
O carum, ô miserum pecus, eheu! quàm mihi vita
Funeris ergò tui misera est? te mersit acerba
Mors quidem, & ante diem, primoq; in limine vitæ
Factus es exhæres cœli & spirabilis auræ:
At mihi durat amor, mortiq; simillima vita,
Et gravior letho, sævi expectatio lethi.
Heu! quid agam? quæ nunc terra, quæ me æquora possint
Accipere? aut quid nunc misero mihi denique restat?
Quis tecto accipiat nunc me, aut miseratus egentem,
Hospitijs epulisq; suis indulserit ultrò?
Postquàm tu mihi causa boni, mihi muneris autor
Omnis, præsidium vitæ, vacua atria Ditis
Inferni subijsti, & subterranea regna,
Munera Tartareas tecum petiere tenebras.
Tu mihi vita, Sodalitio tu solus & unus
Subsidium nostro, socijs & commoda & ingens
Utilitas, mihi sed curarum ignara voluptas;
Et Sol qui tenebras animi, mœstumque timorem
Lætificis poteras radijs depellere formæ.
A primo ingenium, nec tam mihi cognita mens est
Excubijs quàm nocturnis, queis corpore natus
Virgineo Deus est, atque illâ temporis horâ
Nempe, ferunt pecudes quâ, prisco more, loquentes
Insuetos varijs sermonibus edere cantus.
Corporis ut dotes, animi sic maxima dona,
Et soli concessa homini commercia linguæ
Quis non in rapto doleat, miratus in agro?
Noctis erat (memini) medium, altæ munere noctis,
Dulcem carpebant animalia cuncta soporem.

At

At non hic: nec enim membris vicina quietem
Fata dabant; sed iam vinclis solvendus, & antris,
Corporeis exire parans, cœlestia sensit
Spiritus, & divina sequens, sic lingua locuta est.
Maxima te nostri, mi Cipole, cura remordit
Semper, & unus amor nobis est, tempore ab illo,
Quo veni esuriens vestra ad præsepia, & omni
Te non pœnituit me nutrivisse labore.
Non etiam incassum officio certasse priorem
Te paterer, si fata meis me ducere vitam
Auspicijs sinerent, nunc parva rependere magnis
Sit satis, & te consilio instruxisse salubri,
Dum dant humanam mihi divûm numina vocem.
„ Ante alia illecebræ meretrix fugienda malorum,
„ Et mater scelerum Veneris damnosa voluptas.
„ Qualicunque decet, quod non vitare licebit,
„ Pectore ferre malum: poterit fortuna ferendo
„ Vinci, & cùm vultu fulgebit læta sereno,
„ Et cùm insperatâ, miseris gravis, ingruet umbrâ.
„ Noscere te studeas, nec ames odiosus amici
„ Nosse, quibus tibi nec seritur, metitúrve, novales.
„ Tum perferre probrum potiùs quam inferre memento,
„ Et proprio commune bonum præferre: quietam
„ Tranquillamq; colas vitam, hanc minùs esse molestam
„ Quàm populi tabularia, vel tristissima iura,
„ Insanúmve forum, ratio monstrabit & usus.
„ Tollere quæ flamma poterunt, inimicus & ensis,
„ Non ut propria possideas, sed mutua: maior
„ Non hostis tibi sit, quàm qui palpatur apertè.
„ Ne, quam mox tacuisse velis, vox excidat ore,
„ Comprime carceribus geminis, & lege fatiga,
„ Ingentes animos tollat licet ante domandum,
„ Arte regens atque imperio, immoderabile membrum.
Sic ait: his veterum sapientia dicta sophorum
Addidit, & vulgi proverbia trita per ora,
Multaque, quæ taceo spacijs exclusus iniquis,

 Vi

Vt, quantum possim, verba ad compendia ducam.
Propterea quamquam Barros animantia bruta
Exsuperare putant ratione, hominique propinquos,
Africa tota tamen, positive sub ignibus Indi,
Thessalia vel terra ferax asinique celebris,
Sileni pecus, & Sileni numina testor,
Nil quicquam simile aut nil aspexêre secundum.
Vni succubuit culpæ, quod debuit omen
Præsagisse malum mens, si non læva fuisset.
Non mala asella fuit, iam plenis nubilis annis,
Sola domum servans patriam, commotus in illâ
Noster erat, petiere unà de gente asinorum
Innumeri; tulit ante alios pulcherrimus omnes
Anconensis, avis, insigni & robore pollens.
Non habuit frenos dolor, aut tulit ira repulsam,
Irruit in thalamos, & se super ardua colla
Imposuit, rapidâque fremens immane sub irâ,
Deprenso rabiem sævus consumsit in hoste.
Hæc mihi displicuit feritas inopina, furorque
Insolitus; tenui vinclis, & carcere sævum
Ad tempus victorem, & linguam ad iurgia solvi.
Sed tua tela puer, nimiumque cruenta perosam
Corda Deam, memoremque timens Rhamnusidis iram,
Exemi manicis languentem, & vincla levavi.
Et fuit hæc cumulo virtutum noxa sepulta.
Nam formam non cura mihi est, patiensque laborum
Corpus, & æquales tanto pro corpore vires;
Fortunæ variantis opes vulgataque dona
Naturæ, mirari aut summæ vertere laudi,
Sed mentis bona clara sacræ, virtutis amorem
Ingeniique decus, quibus & natura creandis
Consumsit numeros omnes, viresque probavit
Officiosa suas, & nil culpare reliquit.
Hoc tam multiplici titulo gestare coronam
Totius Arcadiæ meruit, legesque rogare,
Atque iugum imposuisse feris, & dicere iura,

Et nutu rexisse asinos, nisi Scoppius, olim
Ambitione malâ, suffragia noster emisset
Vt neque nunc, liceat præsens modò ponere corpus,
In vultus asini transire potentibus herbis,
Hirsutum & villis tergus sumsisse recuset.
Tu verò manibus velatis numina posce
Suppliciter tristis Fauni, viridesque Napæas,
In nova, migrare ut species tua, corpora possit.
Quid migrare vetat? populatrix quæ dat Hymetti
Nobile nectar apis, silvis adsueta Melissa
Dictæis, Dryadum quondam fuit una sororum.
Digna Iovis thalamis olim, & quâ non fuit ulla
Nympha magis Triviæ dilecta Erymanthide silvâ,
Parrasis; huic nigris dare consita tergora villis
Sæva Iovis potuit coniux, ursæque figuram.
Quæque dolos struere ante feris solet, acta refugit
Ah quoties canibus per tesqua, dolusque petita est!
Tantalis, & natûm bis septem ad busta suorum
Diriguit lacrimans, saxo per corpus oborto:
Et canis effigiem potuit post Pergama victa
Induere auspiciis divûm Priameia coniux;
Cur tibi non liceat, præsentis numine Fauni,
Sic asini, meritam toties, adsumere formam?
Aut si fortè nimis poscis, moderatiùs ora,
Vt pars una tui saltem mutetur, & in te
Vt veniant Asini manes Acheronte remissi.
Non ego te novi, sed si tamen hæc quoque, Scoppi,
Captus amore leges, cognato funere mæstus,
Digna Ponocraticis & sint tibi pectora fatis,
Ad dominum descende Stygis, numerumque recense
Umbrarum, Ditis recolens per tristia regna:
Ne dubites, inter Chaos altum, vastaque regni
Atria Tartarëi, simulacraque functa sepulcro,
Ingens, atque humeris exstans, non fallet imago
Quærentem, passu incedens à funere tardo.
Illam suspiciunt animæ, vulgusque silentûm.

Non iecur exedit volucris, non pocula captat
Tantalus à labris fugientia, non rotat orbem
Ixion; sedet in saxo, dum spectat euntem,
Sisyphus ipse suo, & vacuis iam Belides urnis.
Inventam laqueis, vincloqúe innecte tenaci,
Et premo, quicquid erit, cedentes arctius auras:
Idue teqúe illis, superasq́; emersus ad oras,
(Sit mihi fas Asini properata revolvere dicta,
Atque Erebi proferre, Dea, secreta profundi)
Horribilis remees, armataq́; calcibus umbra;
Baudius obiiciet fatalia tela Lycambæ.
Non secus ô gentis, Lapithæa gloria, Poleis,
Demoleonta petis, mentis quoque viribus, hastâ.
Ille dolore furens, adversum erectus in hostem
Calcitrat, & pedibus curvum proculcat equinis;
Tu galeâ excipiens ictus clypeoq́; sonantes,
Vix quoque subsistens, prætendis missile telum,
Semiviriq́; uno duo pectora vulnere frangis.
Est locus, Elysium dicunt, felicior æthra
Manibus Heróum campos hîc lumine vestit;
Hunc fuge: Scaligerum decus, & iustissima, Iustus,
Cura Deûm, æternâ spatiatur luce coruscus,
Et proavûm turbâ comitatus, saltibus illis.
His tu nec radijs, nec contrà obtendere claris
Amphitheatrales poteris fulgoribus umbras.
Ipse mihi moriens, hæc dixit, Cipole, perfer
Scoppiadæ mandata meo; mors cætera labris
Eripuit pecoris, supremaq́; verba secuta est.
Solvimus ex voto promissa, Ponocratis umbra,
Et tibi iusta simul; tu dum lictoribus atris
Designatorem decoret, similique sepulchro
Loïolum expectes in pallida regna sodalem.

Simij, à Plautino Maronio servo.

SI quisquam fecit damnum, & vixisse cupido
Si cuiquam maior fuerit, quàm vivere; porrò,
Si cui mactato certâ cruce, corculum adussit,
Vel nostro, vel præterito, carbunculus, ævo;
Ille ego sum: superatq́; meus damnumq́; dolorqúe
Et luctus, & iacturas, & damna priorum.
Hoc tantum damnum est, hæc tanti causa doloris
Simius, indignâ (heu, misero mihi!) morte peremptus.
Simius, omnigenûm, quantum circumdata ponto
Arva terit pecorum, scitissima bestia: nam nec
Dotibus absque suis, nec erat sine pectore corpus.
O damnum, cui non lucrum respondeat ullum!
Nil igitur mirum, si me somnique cibique
Viderunt inopem quatuor redeuntia Solis
Lumina, si tacui tenebris exsanguis obortis.
Ferre tamen ne quis gravius me dixerit æquo
Mortem quadrupedis nihili, cùm Crassus inanes
Fuderit ad tumulum murenæ voce querelas.
An maior fuerat lascivo caussa Catullo
Passeris interitum deflere? hinc Lesbia luget,
Hinc illæ lacrimæ, & multis epigrammata cartis.
Passerem at hæc longè & murenam bestia præstat.
Quod probat exemplum ingenij admirabile rari;
Cùm vitare dolos potuit Lurconis, & astu
(Audire est operæ precium) benè tangere fallax
Fallacem, proprijsq́; planum deludere technis.
Tempore quo tectis convivia natus herilis
Struxerat in patrijs, carosq́; vocarat amicos
Ad sollenne epulum, fuit huic commissa culinæ
Cura; peni promus-condus, cellarius unà
Simius, haud gelidè dum fervida iussa facessit,

Clàm Florentinus quidam penetraverat ædes,
Ipsa fames cui mater erat, namque esuriales
Illi feriæ erant semper, tum venter Apicî
Exstabat barathro similis, milvina sed ora
Milvinaq́ manus, & curvos polypus ungues,
Vt vinclis, quicquid poterat tetigisse, tenebat.
Custodi hìc primùm conare obtrudere palpum
Nôrat enim colere arte dolos, & mollia fandi
Tempora blanditijs sollers captare iocosis:
Ut de præsidio moto hoc, nemo arbiter esset
Furanti; sed se cernens operamq́ oleumqúe
Perdere, subqúe manus malè rem succedere, corde
Arserunt iræ iuveni & dolor ossibus ingens.
Quos versare dolos, aut quas intendere fraudes
Poßit in hunc vigilem curarum fluctuat æstu.
Mox ubi commovit sua sacra, in corde volutat
Esse imitatores hominum hæc animalia, quævis
Facta sequi: in mediâ duo vinculæ projicit aulâ;
Eligit ex illis unum sibi, tempora & aures
Occultat, volucresqúe oculos; sibi Simius uno
Obducit tenebras, oculorumqúe eripit usum.
Haut impunè quidem. nec enim res nata fefellit
Artificem, oblitusqúe sui èst veterator, & artis
Antiquæ; noctemq́ oculis & vincula solvens,
Obvia quæ sors cunque dabat bellaria, sive
Pulpamenta, rapit, vacuamq́ recondit in alvum;
Tandem victor ovans, amustide vina ligurrit,
Et rapto fruitur, cum prædâ in castra reversus.
Simius intereà cæcusq́ excorsq́ sedebat.
Ast ea dum in cellæ diversâ parte geruntur,
Agnovit longè strepitum, sonitumq́ per umbram
Omnia tuta timens mens & præsaga malorum.
Nec vanus timor ille fuit; cùm reddita primùm
Mens animo visusqúe, oculis in pristina versis,
Confractas aulas, pateras, cellamq́ reclusam,
Et viduata videt carnaria carne, latebras

Armari excussas, reseratas stare lagenas.
Ora quidem planxit, calidusq́ è corpore fugit
Inducto pallore cruor, sed cognitus error
Et serò natura nocens imitamine sueto,
Post damnum documenta dedit; nam, subdola scurra
Dum nondum audaci cedit fiducia, rursus
Oblinere omnimodis technis os, subq́ levare
Observatori, noster, data tempora captans.
Alludente manu incautum, pronumq́ prahendit
Auribus, & nares inhonesto vulnere scidit.
Ille gravis terræ, dum concidit Æacidinus
Hic ruit in crines animis expletus & iris.
Quos pectens pugnis sementem fecit in ore;
Mordicùs abrupitq́ comas, ut posset amator
Pileolum calvus raso sumsisse capillo.
Hæc redolent humanum aliquid, vel origine ductum
E meliore luto fictâ genitore Prometheo,
Ingeniumq́ supra pecudum ratione carentûm.
At nobis date Naïades, quis turbidus illum
Ignotas tentare vias, trans cœrula vectum
Impulerit Deus, & tam duros volvere casus.
Ingenijs fortuna ferox maioribus, usque
Summa ferit, summosq́ viros, & lumina mundi
Perpetuis odijs exercet, mitigat illam
Nec pietas nec longa dies: at mobile vulgus
Tutum serpit humi, invalidum, metuensq́ pericli.
Est tellus procul, Auroræ contermina lecto,
Extremi pars orbis, ibi Nabathaaq́ quondam
Regna, & Cabasij, nunc stant sine nomine silvæ.
Cercopum hic soboles, sterili invisâq́ relictis
Sede Pithecusis, traduxit mœnia quòndam;
Dicere quam poßis homines, poßisq́ negare:
Sunt illi rugis perarata senilibus ora,
Corpore flaventes villi; sed raucus in agris
Stridor, & omnigenûm fit docta imitatio rerum.
Intonsi montes, scopulisq́, Pithecia regna,

Hic illi Solis cernenti lampada primùm
Et natale nemus fuit, & cunabula rupis.
Prima dedit documenta puer prænuntia magnæ
Indolis, & genio, nondum patientibus annis,
Indubitata suo decoris simulacra futuri.
Ac veluti fulcris vallorum, artique colentis
Sæpe datur, si forte petat pulcro aëra trunco
Surculus, ille tamen radicibus exit in auras
Sponte sua validis, adolescens stipite recto,
Nil dextræ ducentis egens; sic cura laborque
Et celatus amor dudùm adfectusq; parentum,
Creditus est fragilis compescere frena iuventæ:
Et potuit virtutis amor, timor esse videri.
Sed postquàm patrio dimotus funere carcer
Blanditiis campum vitijs patefecit apertum,
Clarior effulgens rara constantia mentis,
Excelsum pectus quæcunque in fata retexit.
Post quoque iudicio maturescente per annos
Principis in cunctis perfecti illuxit imago.
Qualem Roma tibi vitâ Germanicus olim
Exhibuit privatus adhuc, sed præstitit alter
Flavius, ante diem solio viduatus adepto,
Fletus uterque tuo mundiq; dolore, peremtus.
Ausonios his adde animos bellíque domíque,
Victoresq; manus Macedûm, illustresq; Pelasgos,
Quæq; olim dispersa locis pulcherrima summùm
Ornamenta ducum, varijs & dissita terris,
Temporibus distincta suis, conspexerat orbis,
Cernere tunc congesta simul gavisus in uno est.
His illum meritis suffragia crebra petebant
Admovisse manum sceptris, patriaq; dedisse
Indolis eximios tantæ decerpere fructus.
Regni ergò & rerum tenuit prudenter habenas,
Dum fortuna fuit: summo discrimine rerum
Gnarus summa regi, minimûmq; licere potenti
Plebis in obtutu: non sunt venalia iura,

Non

Non precio tabulæ certo fixæ atque refixæ,
Non duræ leges, illo sub rege, repertæ.
Nil montes auri damnatum iure, iuvabant,
Nil sua vincenti paupertas obfuit Iro.
Non secùs ac toto diffundit lumina cælo
Phœbus, & illustrat regali splendida luxu
Tecta ducum pariter, pariter radiosq; coruscat
Pauperis in tuguri, nullo discrimine, culmen.
Non sine consilio maturo & sæpe recocto
Iura dabat populis, nunquam sententia regi
Dicta semel, revocata, aut inconsulta reperta est.
Vt piger ad pœnas animus, sic dextra, merenti
Vtilis, indulsit trepido generosa pudori
Quas non fecit opes sibi, sed servavit amicis.
Et quia erat specie eximiâ sociata perenni
Vinclo illi coniux, Dîs & Iunone secundâ,
Nam primis illam tædis, primisq; iugârat
Ominibus pater intactam, furtiva perosus
Coniugia, illiciti non nôrat gaudia lecti.
Sed quid ego angustis immensum finibus agmen
Virtutum densare paro? quò pergere tento?
Cernite, queis regni est rerumq; extrema potestas,
Quædam etiam à brutis homines non turpe doceri:
Hæc, vires rerum, & varios mortalibus usus
Exemplo ostendère suo, quos cura recepit
Nostra sibi in miseræ solatia commoda vitæ.
Sed si fortè pudet pecorum præcepta probare
Et documenta sequi quæ multa salubria præbent
Vestra laboratis gemmata palatia tignis
Tollantur, namque ante homines sua tecta, domosque
Dædala struxit avis, rosei prænuntia veris:
Non ducant lanas, turbent operosa puellæ
Stamina, & intexti rumpant aulæa Britanni,
Et chlamydes, regumq; omnis scindatur amictus,
Texere opus pecudum est: suspendit aranea casses
Prima suos, tenui percurrens pectine telas.

Sint

Sint acies posthac nullæ, non longa cohortes
Explicet in bellis legio, nullo ordine agatur
Martis opus; nam verrentes vada cœrula pisces
Vos belli docuêre agmen disponere campis.
Cura magistratûs pereat, vestraq́ corona,
Nec pretij ullius, nec sit Respublica curæ,
Vivamus sine iudicijs, sine lege, soluti;
Nam volucres, normam & mores posuêre regendi
Parendique, quibus generandi est gloria mellis.
Sed, memor unde abij, redeo. Rex arva tenebat
Simius, & longâ placidos in pace colonos.
Invida præ magnis semper Rhamnusia rebus
Gavisa est versare vices: tulit impetus hora
Quæ dederat tam longa dies; defuncta periclo
Sic ratis, & placidis Aquilonibus usa per altum
In portu Zephyri sæpe est illisa procellâ.
Otia nam rupit regni, & nova prælia movit
Indus, at hic resides animos, desuetaq́ Martem
Pectora ad arma vocans, docto non par fuit hosti.
Res ergò ut belli fractas discrimine vidit,
Et cunctas dare terga fuga palantia turmas,
Nec super auxilium; miserandi scemate sumto
Militis, evadens vigiles, inimica fefellit
Agmina: quot casus illum, & mala quanta sequuta?
Sic etenim placitum Superis: queis alta putavit
Hoc se mens debere tamen, quòd multa decoris
Cùm Sors abstulerit prisci, sint plura relicta
Arbitrio maiora tuo: non subdita casu est
Instabili generosa fides, vultusq́ verendi
Maiestas, servili ignara audire timori;
Ingentesq́ animi, spretorq́ laboris & avi
Spiritus, & nudo virtus splendore refulgens?
Tunc etenim tentanda fuit, cùm fecibus esset
Et personato fortunæ exuta sereno
In vultu mens vera suo; quæ pressa ruinâ
Adfectus simulare nequit, cùm sceptra tenentûm

Sub

Sub regno graviore, videt consistere regnum.
Tandem ergò ducens extrema per omnia vitam
Ad villam pervenit heri, fuit illa malorum
Certa quies, & certa domus dum vita manebat.
Sed nunc dira caput sub Tartara trusit Erinnys,
Cui datus hærebam custos: quo corde putatis
Aut quibus hunc potuisse oculis me ferre dolorem?
Non sic Aiacem Telamon, non flevit Adonim
Sic Venus, indigni laniatum dentibus apri:
Non ita, supremùm ter clamans, nomine magnus
Alcides quæsivit Hylam, ut littusq́ nemusq́
Nomen Hylæ, & scopulis exceptum redderet Echo.
Ah, quoties manibus liventia pectora planxi!
Ah, quoties conata queri, sed inutilis hæsit
Lingua mihi! tam dulce caput dum concidit Orco
Ante oculos, interq́ manus lacrimabile nostras,
Sponte fluens, & se paullatim corpore toto
Exsolvens, placidâ sic tandem morte quiescit.
Quod matutinos dum princeps Lucifer ignes
Nuntiat auroræ, lucemq́ aurora diurnam,
Mane novo pecudes plangent & vespere sero;
Plangam ego, nec tantos mors finiet ipsa dolores.
Ipse quidem referensq́ vices in amore secundas
Affectuq́ pari, & luctu, quem funere nostro
Monstraturum illum, vixisset, credo fuisse.
Horum sanctus enim pertentat corda Cupido:
Et tanto certum est hos prolis amore teneri,
Presserit ut persæpe parens ad pectora natos
Incautè nimis, & teneris pulmonibus auras
Clauserit, eripiens animæ spiramina parvæ.
Ast etiam in nostri veniant consortia luctûs
Simiolûm obstricta meritis, pecudesq́ feræque.
Nam tu magna Pales, & tu memorande remoto
Pastor ab Amphryso, pecoris queis cultus & agri:
Est sacer, ut cæli morbo miseranda coörta est.
Bobus tempestas, illos succurrere pesti.

Nostis

Noſcitis atque unam morituris eſſe ſalutem.
Vidit ſæpe Deûm genitrix turrita Cybelle
Et riſit, venis quando ſitis ignea cunctis
Acta, ægrotantûm fregiſſet membra leonum,
Febre minutatim cordis populante vigorem,
Hos medicas adhibere manus, & tollere morbum.
Nil igitur linguâ, aut fucatis fecibus uſus
Eſt oratorum veterum, (quibus actio laudi eſt
Et geſtus pecoris noſtri, quòd membra loquantur
Compoſito, & veluti nativo ſingula motu:
Adſimulare audax quidvis Titianus, & ipſe
Hinc etiam Æſchines, reor, eſt Demoſthene dictus
Simius, indutus ſyrmâ, tragicoq; cothurno.)
Nil opus eſt, inquam, verbis, queîs triſtia dona
Sollenneſq; dapes iubeam libare ſepulchro.
Cuílibet hæc animo pecori ſententia ſurget
Annua vota ultrò, funebres ordine pompas
Exequi, & alta ſuis cumulare altaria donis.
Si verò Aegyptus, cœli ſtudioſa, deorum
Prodigioſa parens, hunc uſurpaſſet ocellis
Iſſet in exilium Felis, ſiſtrataq; turba,
Porrum & cape, deûm monſtra, & latrator Anubis.
Gens etiam ſi tam felix Chaldæa fuiſſet
Illorum ut noſter tetigiſſet ſimius oras,
Struxiſſet delubra illi, & ſimulacra per urbes
Et templis meritum Magus indixiſſet honorem,
Numinibus patrijs, Flamâqúe, Focoq; relictis.
Sic tua Simiole, ô, mors cùm concinnet amarum
Cordolium, quibus es notus de nomine tantùm,
Heu! quianam me morte tuâ infortunia tangent!
Gaudia cui tecum periêre, & commoda cuncta;
Et cui invidia, & ſenium, eſt & ſola ſuperſtes
Anxietas, quæ me coquit, & ſub pectore mactat,
Et ſaturat vitæ, & tandem eſt factura ſuperbum.
Sed ne fortè ferant tam longi tædia planctus
Deſiſtam, maneſq; ſupremùm voce ciebo;

Et

Et quicquid fieri voluit ſuprema voluntas
Eſſe ratum curabo, & vota ex ordine ſolvam.

Noctuæ à Flora, vidua.

NVnc demùm nihil in vitâ proprium eſſe recordor;
Nos morbi ſiquidem, dubijq; per omnia caſus,
Carnificeſq; vorant curæ, triſtiſq; ſenectus,
Horrificant luctusqúe, laborqúe, & turpis egeſtas:
Sed contrà, miſeræ pauca (heu!) ſolatia vitæ.
Nam plerumque rapit dura inclementia mortis
Illuſtres animas primò, obſcuraſq; relinquit.
Ac velut intereunt ſegetes, frumentaq; culmis
In teneris vix nata cadunt, at ſegnis in arvis
Carduus, & lolium, & ſteriles dominantur avenæ;
Sic gens plena dolis, veriq; effœta, nec ulli
Vtilis ipſa bono, tantummodò lædere nata,
Sæcula Tithoni, & Cumæos vivit in annos.
Sed quorum vitâ eſt & famâ dignior ætas,
Eximiaq; ſpei pueros, à pectore matrum
Abreptos fert atra dies, & funus acerbum.
Nempe id nunc de me experior, cui parva voluptas
A Superis data, dum vidui in ſolamina lecti
Vitalis mihi noctua erat, cui triſtia vitæ
Fila, per invidiam, ternæ fregêre ſorores.
Non mihi defuncti tam triſtia fata fuêre
Coniugis, officio quamvis & rebus agendis
Sit functus benè, nec mecum crudeliter egit.
Noctua, quàm meritò cuncti dixêre triumphum
Naturæ, Dî te Stygias nunc ire ſub umbras
Imperijs egêre ſuis, aliaſq; tenebras
Quærere, & æternam pennis tranſcurrere noctem.
Lucifugæ at ſtriges, & veſpertilio ſtridunt
In tenebris, ululant ululæ, raucumq; paluſtri

Buteo

Buteo bubit aquâ, te, Noctua, voce vocantes,
Lugubri, exequiasq; tibi de nocte ferentes.
Nam tu forte tuâ fueras, dum vita manebat,
Alitibus maior cunctis, tibi rhethra Lycurgi.
Cognita erat, fandiq; lepos popularis Achivûm
Cecropius, varijs te dotibus innuba Pallas
Conspicuam, multâq; insignem fecerat arte.
Præter enim voces, & sibila præter acuta,
(Sera sub obscurum noctis dum culmine tecti
Prodit, & humentes alis transverberat umbras)
Huic aliquid volucri proprium decet esse putemus.
Sic sentire iubent, quibus est & origo vetusta,
Et quibus est virtus, & avis sapientia nota.
Hæc siquidem est Triviæ iam primâ ab origine mundi
Sacra Deæ; illustres Græcorum gloria Athenæ
Propterea has volucres aluisse feruntur, Athenæ
Artium origo, parens doctorum & alumna virorum.
Certè olim, certi signum indiciumq; triumphi
Noctua, eratq; probæ lectæq; epigramma monetæ.
Non etiam, Græcæ si fas est credere scenæ,
Augurij levis illa nota est, nec vatibus omen
Obscurum, doctis nec dia incognita linguæ.
Quòd si Democriti cuiquam illa scientia detur,
Quâ proprias volucrum potuit cognoscere voces,
Maxima præsagam venturi arcana canentem
Temporis audiret, quemque & sua fata docentem.
Eloquio Pericles, & præpetis omine pennæ
Nostræ avis, induxit, dudum diversa sequutos,
Ductores, petere Aegæi, quas iusserat, oras.
Iustitiæ Martisq; potens, cum gente volucrum
Semper bella gerit solâ, & concurrit ad arma,
Sanguine quæ pullos humano nutrit, & ipsas
Ore ferens carnes, in viscera viscera condit.
Fallacis nec gnara meri, quod vertere sensus
Et turbare solet, nobis sua porrigit ova,
Queis vini venis discedat deditus ardor.

Luctatur

Luctatur cùm lingua & mens oppressa Lyæo.
Prodidit & croceis halanti floribus horto
Tutelam Columella, aliquo si fragmine muri
Noctua dependens volucres exterreat alis.
Hic etiam genus, & quæ nobilitatis origo
Vatibus expediam longum vulgata per ævum.
Quamvis ipsa Venus tantum non credere flammis
Ausa suis, pudeatq; nefas autore fateri
Numine; relligio quoque postera, sancte Cupido,
Tela facesque tuas à crimine vindicat isto.
Terra procul nigrum colitur, sub sidere Cancri,
Æthiopum, rex hic populos Nyctæus & urbes
Imperio, blandóque regens moderamine quondam
Continuit, rex formâ ingens, ingentior armis.
Vna hæres tantum servabat filia regnum,
Quæ casti vetito correpta parentis amore
Non hunc ut patrem, nec quà debebat, amavit
Filia: sed patrio circumdans brachia collo
Officio furiata suo, sæpe oscula libans
Tempestiva patrem, dudùm, nil tale timentem,
Decepit falsâ pietatis imagine regem.
Hoc magis intereà Nyctæia pervigil igne
Carpitur, ipsa silens. sed sensit fida senectus
Nutricis, deforme scelus languentis alumnæ.
Et promisit opem, postquam verba irrita fudit
Excutere infandum frustrà conantia morbum.
Omniáque explorans, tandem malè sedula custos
Nacta gravem vino est Nyctæum, exponit amores,
Tum faciem, & primos maturæ virginis annos
Laudat, & illustrem, suppresso nomine, stirpem.
Quam, nec enim faciem Princeps, nec nomina nôrat,
Postquàm intempestâ iussa est adducere nocte,
Incesto pater excepit sua viscera lecto.
Post aliquot noctes, avidus cognoscere amicam
Nyctæus, vidit gnatam, obscœnosque hymenæos,
Vidit, & exsanguis visu, vox faucibus hæsit:

Sed

Sed fidum, capitis fulcro, qui forte latebat
Eripuit gladium, trepidanti fervidus instans.
Illa volat, vix prima solum vestigia signant,
Quò cursum fortuna regit; sed munere noctis
Et Triviæ auxilio, sortem miserantis iniquam
Virginis, intercepta neci est: posuitq; puellæ
Effigiem, & sensim tentantibus ardua pennis,
Aëre sublata est, propriis exterrita plumis.
Nunc quoque, se patrium memorans temerasse cubile,
Conspectum, sociosq; fugit, lucemq; perosa est.
Sed quam te video mea Noctua? túne senectæ
Vna meæ requies, mea sera & sola voluptas?
Quò sequar? aut cur me potuisti linquere solam?
Nunquàm ego non soleo mensas onerare volucrum
Magnorum spoliis, defunctaq; corpora vitâ
Igni curabam exiguo properata maderent,
Venatu tecum prædam sortita recentem.
Propterea non immeritis ululatibus omnem
Impleo consessum caveæ, & mea pectora plango
Tristis, & (heu! frustrà) somnus te deserat opto
Ferreus, æternamq; relinquant lumina noctem.
Tu cadis ante diem, parvo lætabilis ævo;
At corvus, vulturque, & multis gracculus annis
Ore vocans pluviam, ducensq; per aëra prædas
Milvius, atque ipsi cornix invisa Minervæ
Plurima & ingluvie, & fœdâ explent secula rixâ.
Non doleam, mihi cristatus si exercitus omnis
Intereat, qui languiduli reserare cubile
Nunciat Auroram Tithoni, & somnia solvit:
Vel, mihi bis dent qui circum pascua læta,
Dulcibus in stagnis, rimantur pabula cygni,
Tu modò si Stygiis possis revocata tenebris
Lumen ad æthereum, & superas remeare sub auras.
Vincebas placidâ tu simplicitate columbas,
Cedebat tibi distinctis Iunonia pennis
Ales, quanquàm illi stellantibus ardua gemmis

Cauda sit, atque oculis Argi circumdata centum.
Accipiter, volucris rapto qui vivit, & omnes
Terret aves, tibi magnanimo certamine cessit.
Præpes adunca Iovis, tam iusto invidit honori
Turbida, & attonitis iaculata est fulmina terris.
Carminibus voluit tecum contendere, & oris
Victa sono, tacet æternum Pandione nata.
Scilicet & cantus venêre ad præmia tecum
Cygni, Mæonias celebrantes funere ripas,
Sed victi in vestro manes petiêre triumpho.
Quare agedum, vos clara polo, vos sidera testor,
Huic locus astriferâ ut pateat regione volucri,
Hîc ubi Phœbæus signorum se explicat ordo.
Icarius placido si præbet lumina cœlo
Seirius, in terris quondam canis; & loca Cancer
Aetheris alta tenet, fulgore notabilis ipso,
Et testudineo incessu, non dignior astris:
Si cui Lernæis cauda est armata venenis
Scorpius, in cœli iustâ plus parte relucet
Clarus, et situ curvans sua brachia magno;
Cur non mitis avis, quæq; arte est noxia nullâ
Noctua, vobiscum cœli solia aurea lustret?
Si vobis Vrsæ, Capra, sævique Leones
Accepti; cur mansuetæ non ulla volucri
Pars pateat cœli? si magnæ denique molis
Arietibus, Capricorno, & Tauro cornibus annum
Qui vere auratis aperit, sua semita detur
Quâ currant; quid avi parvæ via parva negetur?
Si Iovis officio Cynosuras & si ubere Capra;
Cygnus adulterio; spolio Leo; cuspide Chiron
Intravêre polum; superi spatia avia mundi
Ingenio & pietate mea est meritura volucris.

Galli à Theſſala muliere.

VErum eſt, quod ſilvis comitatus & amnibus Orpheus
Ad ripas ſacer Hebre tuas modulatus, Averno
Poſt reditus, atque Eurydices poſt fata ſecunda;
Æternum fieri nihil, eductumque ſub auras
Quicquid erit, quodcunque oras in luminis exit,
Deberi morti; mortem quoque fata ſuprema
In ſe conſtituiſſe ſibi, extremumque timorum.
Credere Treïcio vati iubet aſpera Galli
Et mors cruda mei, toto quem pectore ſemper
Toto animo, totâ pendebam perdita mente.
Nunc illum Eumenides crinitæ ſontibus hydris
Ludibrium Stygio ſtatuerunt triſte parenti.
Nec queror occidere aſſuetas, avidaſque cruento
Pollice fuſa Deas naſcenti rumpere vita;
Corporis at dotes, animique inſignia dona
Exemplo caritura, ſemel deperdita in ævum
Lugens, communem vicinis defleo caſum.
Ex quo iacta meæ primum fundamina villæ,
Non in gallinas tenuit formoſior alter
Imperium: gallis longè præſtantior Indus
Quippe nigris oculis, erat, inceſſuque decoro.
Quod laudi vertit ſapiens animantibus illis
Varro, ruricolæ decus immortale Camœnæ.
Totius idcircò placidis convictibus avi
Gallinis, quas cum curâ ſtudioque fovebat,
Carus erat, multiſque mihi dilectus ab annis:
Quòd pullos unâ varios ab origine amarem
Atque aliam ex aliâ generando ducere prolem,
Cottidie gremium dum ditat turgidus ovis
Oblongis cenſus, quæ ſunt magis alma rotundis.
Quis poſthac etiam medio mihi noctis adultæ

Curriculo

Curriculo expellet ſomnos, ut ſurgere mane
Mollibus è ſtratis opera ad muliebria poſſim?
Nam gallus meus horarum momenta canebat
Voce gravi, cùm primùm alto de gurgite Eöus
Surgens, Phœbæam prædicit lampada terris.
Quæ regio in terris non ſit ſtudioſa volucris
Tantæ? quà ſaltem cultoribus orbis aratur
Atque ubi non ſteriles exurit Seïrius agros,
Vel qua Rhipæo tellus non tunditur Euro.
Nam quamvis aquila ætherei Iovis armiger audit
Et volucrum rex cunctarum, quia fulmina curvis
Ferre ſolet pedibus; cur non adſpiret ad illud
Nomen, & imperium gallus, poſcatque tiaram?
Namque ut cura aquilis eſt prædatoribus unis
Per fas atque nefas furtis & vivere rapto:
Sic gallo contrà cinxit diademate fulvo
Conſpicuum natura caput, ſic regius oſtro
Velat honos leveis humeros, ſic ſpectat euntem
Magnanimo elatum inceſſu, geſtuque ſuperbo,
Attonitis inhians animis gens tota volucrum.
Tum pennâ caudam diverſicolore decoram
Si quis conſpiciat, præclarum ſtirpis habebit
Antiquæ indicium: fortè ignoratis, Amicæ,
Omina præbuerint quod feliciſſima galli,
Ominibusque bonis, diverſis nomina rebus.
A gallis etenim ſibi ſumſit Gallia nomen;
Quam velox Rhodanus, quam caſto gurgite Rhenus,
Et quam lentus Arar rigat, & quam flava Garumna,
Fibrarum, pennæque ſagax, & fulminis, uni
Gradivo devota deo, moreſque, ſacrumque
Ingenium, ut galli ſequitur Gallecia nomen.
Quique ſub Idæo Corybantes tympana colle
Rauca ſonant, Phrygiiſque modis atque ære, deorum
Turrigeram exululant matrem, cognomine gaudent
Gallorum, cantum galli clamore ſequuti.
Præterea inſanis Phrygiæ perlabitur arva

 Gallus

Gallus aquis, viridi prætexens margine ripas.
Accolit errantem tardis quoque flexibus amnem
Nominis illius, gens docta Lacaones arcu.
Inter & Ausonias gentes, & clara domorum
Stemmata Romulidum, gallorum nomina multi
Religione sibi quâdam sumsêre celebres.
Gallus in his primus, cui condita carmina versu
Chalcidico, cui cura fuit non digna Lycoris.
Sed iam virtutes, & quædam propria gallis
Expediam, at breviter, ne crescat carmine luctus.
Principiò, galli stomachus stomacho utilis ægro,
Digerere & iuvat infirmum sua pabula ventrem
Tradit enim eximium Galenus habere calorem.
Nec non progenies infirmis, illius, annis,
Adiuvat in Venerem segnes, nocturnaq; bella,
Et facit Idaliæ cognoscere præmia divæ.
Ast hic, quem gallo Vulcanus decoquit humorem,
Haut, gallo exempto, tenues fundatur in auras
Vt nihili, nihil auxilio præsentius illo,
Venter ut immodicum queat alvi sistere fluxum.
Vnde mihi posthac sed delectamina sumam?
Fatiferi unde petam medicinam vulneris? eheu!
Quid querar? aut ubi sum? mea cladibus obruta tantis
Mens, (nam fortunâ hanc rimam faciente, dehiscens
Cætera) semper erit secura ad gaudia segnis.
Ite piæ volucres, inque hoc devertite funus,
Troq; comis plumas laniate, & scindite rostro
Scindite & ungue genas, proprijs & dicite lessos
Vocibus, hîc mœsto sturdus se pinsitet ore;
Triste palata sonet, gemat illa fronde palumbes;
Et plangas philomela nefas, & funus hirundo
Luctu sollicitata novo; vetus illa tyranni
Ismarij scelusq; suis expleta querela est;
Alter venit Ithys vobis, atque altera Progne.
Vos quoque gallinæ, mecum lugete, sepulcro
Fundite funestas, tundentes colla, querelas.

Hic vestros, primus sibi vos qui iunxit, amores
Abstulit; ille habeat, vulgares temnite tædas:
Vos coluit solas, nec uti pars magna procorum
Dilexit modò visa sibi; cur solus & ille
Dignus amare fuit, nec dignior ullus amari,
Sic cœlo faciente fidem, maiusq; volucris
Promittente decus, si non hoc fata negassent.
Natali nam signa die radiasse sereno
Æthere multa ferunt, qui in re præsente fuerunt.
Hiqúe triumphales arcus, altosq; colossos,
Exuviasqúe, tropæa, atque inter sidera celsas
Pyramidas, multasq; trabes, multasq; coronas
Aetheris in campo perhibent fulsisse liquenti.
Surgere præterea, nimbis oriente fugatis,
Auroramq; sequi stellam vidêre comatam,
Et longum à tergo flammarum ardescere sulcum.
Nec minùs & volucres varias circùmq; supràqúe,
Aëra mulcentes cantu meliore, volasse.
Deq; tot Europæ populis atque urbibus una
Deligeris terræ non ultima Nissa Sabaudæ
Hoc partu dignata novo, & tam nobilis olim
Conscia depositi, tam claro turgida fœtu.
Non tantùm Lyricus sublimi carmine vates
Illustrat patrias, Cadmaïa mœnia, Thebas:
Aequè Virgilio nec gaudet aquatica Manto:
Nec tam doctiloquo felix Verona Catullo;
Quàm tanto, tellus Galli natalis, alumno es.
Tu clarum, sortita decus, celebrabere nutrix
Ruricolis, quibus est Gallinas poscere votum
Cristatosq; duces in spem submittere gentis.
Gloria Deliacis tua mercatoribus orbe
Diverso, nec erit seclis obscura futuris.
Qui pullos castrare mares teneris q; sueti,
Mensæ delicias, Venerem prævertere in annis.
Nisa nec Ogygij tantâ ut iactetur alumni
Laude, nec Ida Iovis cunis, nec Apolline Delus.

Sed quid ago? per tot laudes mihi sentio amorem
Crescere defuncti, & converti in pristina luctus.
Ergò Galle vale dilecte, meique memento,
Securæ nondum biberis si pocula Lethes,
Per varios casus quæ te & discrimina primæ
Aetatis, gremio fovi, duxique sub auras.
Sed vobis grates, matronæ, grata referre
Vix potero dignas, quæ galli indigna videre
Funera, supremum ac dignatæ solvere honorem,
Audistis lacrimis miserabile carmen obortis.

Mergi à Gripo Piscatore.

NVnc primùm gelidæ mihi ineluctabile mortis
Ius visum nimis esse potens, & ferrea fati
Ampliùs extendit se vis, quam sæpe putavi:
Postquàm Tartareos lucos, regna invia vivis,
Adspicit, & Mergus Phlegethontis mergitur amne;
Quem credebam equidem rutili super ardua mundi
Astra volaturum, atque olim volventibus annis,
Inter Cœlicolas, bibiturum nectaris undas.
Magna loquor, sed digna tamen me dicere Merge
Testes vos Nymphæ, Nymphis vos flumina testes,
Provida queis volucris non est ignota sub undis
Dexteritas, in tollendis è gurgite tuto
Piscibus, aut summis rimando pabula limphis.
Ah quoties, ripâ residens, aut pronus in æquor
Spe prædæ, lentamque tenens è vimine virgam,
Occultos escis tacitus lethalibus hamos,
Margine de viridi mærens, aut littore cessi
Defessus, madidusque, & voto lusus inani:
Cum tamen hic pelago rediit vel flumine, largis
Compensans spoliis tenuis dispendia cœnæ.
Nunc illum rostro salientem ducere congrum,
Nunc rhombum, nunc æratum mirère cyprinum,

Nunc medicas, tripedis mensæ solatia, tincas,
Alburnos, populique obsonia vilis, alausas.
Ipsa mihi splendent magalia divite gazâ
Squammigeri pecoris, scombroque, levique platessâ,
Et trigone, atque scaro, solus qui ruminat escam
Ceruleos inter cuneos, acipensere, & orbe,
Auratâ, & Paphiæ dilectâ murice conchâ.
Quæ sale condita, aut fumo indurata, Notosve
Suspensa ad gelidos, in tempus condita servo.
Hæc toto populator agens raptorque profundo
Certiùs eduxit, quàm verrere nautica pubes
Nodosis laqueata plagis examina possit.
Non mugil caudâ pendentem desuper escam
Excutiens, vertensque in propria commoda fraudes,
Retia cum fallat, setasque, hunc fallere nôrat.
Lucius, obscœnas ulvâ, cœnoque palustri,
Semper amet licet, apricans in sole, lacunas;
Non ulvâ fuit aut penetrali gurgite tutus.
Ipse lupus, nostri nuper curvamina ferri
Rictibus invadens, feralem senserat uncum,
Discursuque vago, quin fluctibus obvius ipsis,
Concutiens caput intrepidus, laxansque dolosæ
Cuspidis introitus, frustratum liquerat hamum:
Sed non evasit mergum, qui proximus hamo
Advolitans, oculos adyta immittebat in ima
Aequoris, inque omne arcani penetrale fluenti:
Ille ut nutanti vidit crispoque tremore
Indicium fecisse fidem, magnique, ferique
Captivi, ruit in latices, profugumque retraxit,
Attonitum sine fraude capi, tollique per auras:
Proiecitque udam super arida saxa rapinam,
Vulnere anhelantem, morientemque aëris haustu.
Aëre rex igitur mergorum, at terror in undis
Aequorei generis, cœloque, saloque regebat
Hic pisces, illic volucres, qui sæpius illum
Clangentes duxêre domum stridentibus alis.

Et cœtu reducem denſo cinxere volantes.
Manibus at quoniam ſtatui perſolvere functis
Iuſta, ferant Stygias ut pignus amoris ad undas,
Paucis includam numeris regalia Mergi
Stemmata, perq; homines actum genus omne ciebo.
Si qua fides dubijs, mercator Colchicus olim,
Forſan & Aëtes ducens ab origine ſtirpem,
Mercibus inſtruxit pretioſis undique claſſem,
Per vada ſalſa petens, aliis ſub ſidere terram.
Iamque nigras velis pinus aptare iubebat,
Multa movens animo, ſed tollunt cuncta procellæ
Aëria, pelagoq; & nubibus irrita donant:
Poſtquàm altum tenuere, rates furor Orionis
Per vada cœca ferens, vaſtum mare volvit ad aſtra,
Ludibrioq; virum navemq; procacibus auſtris
Expoſuit: navem rapido vorat æquore vortex
Illiſam: Neptunus aquas & pocula Colcho
Salſa propinat, at hic fluctus ſive more rotantes
Sorbet hians, medijs & brachia iactat in undis.
Tum rector pelagi pro palmis tenderet alas
Iuſſit, & æthereas pennis proſcinderet auras.
Sed cladis memor ille ſuæ, ſub gurgite ſparſas
Colligere optat opes iam radens æquora ſumma,
Iam ſe ſub vada præcipitans Neptunia pennis.
Scrutaturq; lacus omnes, maria omnia, merces
Quærens ſubmerſas, nec adhuc ad futile votum
Spes frenare poteſt avidas, memoresq; recurſant
Triſtitiæ caſus primi, antiquiq; dolores.
Veriùs aſt alij referunt: vixiſſe ſub Idâ
Aeſacon umbroſâ, dignum cui Dardanus eſſet
Aſſaracusq; parens, Priamusq; noviſſima Troiæ
Fata trahens ſecum: qui non, niſi rarus, adibat
Ilion, aſt illi placuere ante omnia ſilvæ,
Speluncæ, viviq; lacus, ſubq; arbore ſomni,
Et ſecura quies, & neſcia fallere vita.
Hunc primùm Heſperien perhibent Cebrenida formâ
Invictum

Invictum viciſſe ſuâ, quam Troïus heros
Dum celer inſequitur pedibus, celer urget amore,
Nympha fugâ flavi prævertens flumina Xanthi
Concidit in talum ſerpentis dente petitum;
Aeſacus, indignis animo commotus amicæ
Supplicijs, quorum ipſe ſequens erat inſcius autor,
Præcipitem æquoreâ miſit ſe rupe, cadentem
Molliter excepêre Deæ, plumisq; dedere
Aëra per vacuum ferretur, & intima ponti.
Fecit amor maciem, tenuataq; crura dolore
Et ſaltus porrecta manent; dum detinet unda
Corpus, avensq; freto miſeros ſubmergere ſenſus
Productum caput eſt: nunc Oceanitides illum
Nereides dicunt ſpatioſum in guttura Mergum.
Sed ſatis hoc de regali ſit origine, & alto
Stemmate mergorum; quis enim ſtrictè omnia pandat?
Tum quoque, quod tenebris nigreſcant omnia circùm,
Et luctus mea corda premat, brevis eſſe laboro.
Sed quanta eſt mihi morte tuâ data cauſſa doloris
Merge, & quanta tuo me funere damna ſequentur!
Nunc licet annoſi bis vincam Neſtoris annos,
Et mea fata ultrà Cumææ ſæcula vatis
Producant ſuperi, non indole, & alite pennâ,
Non genio inveniam ſimilem: præbebat inemptum
Ille mihi exſorteraq; cibum; nec arundo, nec hamus,
Quà ſcopulis calamos depoſcunt aſpera lentos
Inclinare vada, aut conſepto gurgite ſtagnum
Subnatis fundo piſces concludit in herbis,
Proventus unquàm potuit mihi ſiſtere tantos.
Muranas, memini, ſectabar retibus olim,
Necdum etiam teretes dorſum, vel lubrica nôram
Tergora, ſed varijs inter ſe implexibus orbes
Dum captæ impediunt, & laxa foramina retis
Explorant, rimam cunctæ evaſere per unam.
Quid facerem? nec ego aſellum nec paſſerem habebam,
Nec ſoleas, nec halecis pelagi nam clauſerat undas

F 4 Tempe-

Tempestas, freta nec poterant durare carinæ.
Mæsta domi coniux, cum parvorum agmine natûm,
Ante focum, exiguo lucentem fomite, frustrà
Mantabat miseri venatûs lucra mariti.
Ecce venit liquidum proscindens aëra Mergus
Remigio alarum, barbumque ætate gravatum,
Et lentum nandi, summis referebat ab undis:
Hic etenim, quod viventûm vix contigit ulli,
Iam melior peiore avo, & mærentibus amnis.
Nec mora, te roseo celebratum viscere salmo;
Sed nondùm salmo, nec iam salar ampliùs, addit
Ambiguum, sario, deprensum verbere caudæ,
Dum bullæ summo produnt in marmore nantem.
Hoc victu vires læti revocavimus omnes,
Parte suâ meritò nostræ cedente volucri.
Sed nec fallaci cumulo, nec vimine nassa
Texta levi, placido nec retia iacta profundo,
Vortice corticeis summo fluitantia signis,
Aequalem mergi, traxêre ad littora prædam!
Hinc iacula, aut fundas, per purum littus agentes,
Ipsaque ducentes ducentia retia pisces
Vicini, socijque, mihi invidêre subinde
Prandenti pecudes, quas non in retia casus
Nec sua credulitas in falsas egerat escas.
Hic, ubi candentes excelsa ostendit arenas
Latè supposito resplendens Tania ponto
Renessam, Haemstedamq; videns; mihi fessa senectâ
Hic se olim vidisse parens narrare solebat,
Cùm iam sol æquos cœlo diffunderet ignes
Inter Oreïades lusisse Palæmona divas.
Et monti suus horror inest, & littora Phocæ
Servantes statione (hæc sunt nam littora Phocis
Infestata crebris) hodie quoque, furta magistri
Intempestivo custodes munere produnt.
  Hic quoque Nereïdes Mergum, Dryadesq; sorores
Deflevêre diu extinctum, tristesque Napææ

Ad

Ad ripas Verdae tuas, curvataque parvi
Muscoso subter Lorræi fornice tecta:
Qui virides inter salices Haemstedica fluctu
Arva levi lambunt, & pisces dulcibus undis
Conservant domino fluviales, Tethyde cincti.
Ipsi etiam Fauni atque habitantia numina colles
Aequoreos, fudêre oculis & pectore rivos;
Illis immaduit, madefactaq; terra caducas
Concepit venas, & limite perbibit imo:
Quas ubi clivosis torrens demisit arenis,
Continuis Eyndiaci cingentes mœnia Castri,
Ditant tergeminos limpharum munere pagos.
Nonne vides arbusta, prius tendentia in auras,
Annosasque ornos ferientes vertice nubes,
Demisisse comas, & iam marcere dolore
Sidere ut afflatas lævo, vel fulminis alis?
Destituit frutices viridis iam sanguis, & herbas,
Nativusq; color pallentes luctibus agros.
Quæq; solent vario mulcere hic aëra cantu,
Littora ubi reflui durant humentia fluctus,
Et nullas calcata tenent vestigia formas,
Iam volucres ferale silent, & funera plangunt.
  Sed quod flamiferi statuit regnator Olympi,
Tergeminæq; deæ nentes adamantina fata,
Quisnam id terrigena, inferior tanto ordine Divis,
Audeat, aut, quamvis ausit, rescindere possit?
Ergò detersis lacrimis, pressoque dolore,
Sollennes de more dapes, & tristia dona
Libemus, cineri ingrata supremæ ferentes,
Nos hæc ad tumulum tenui modulamur avenâ,
Vix opus ingenio par, sed melioribus ausis
Olim aliquis spero Musis dilectior, illa
In meliùs referens, impensiùs excolet arte:
Addet & his laudes, & carminis alite famam
Mæonio extendet, nec Mergi nomen edacis
Temporis invidiosa fames memori eximet ævo.

 Ille

Ille sed intereà nemorali sede receptus
Colle sub Elysio, sanctas in vota volucres
Iam sua convertit; comes huic it plurima Phœnix
Quæ mundo superat semper tantùm unica nostro.
Aut, si cœlum adijt, iam custos Piscibus hæret
Quà versum æthereus signorum vertitur ordo.

Grilli, à Certalda, muliere.

NVnquàm equidem fore crediderã, ut tristissima iura
Proferret quoque falcatæ inclementia mortis
In Grilli mihi dulce caput, vel mitteret Orco,
Tam parvam sine fraude animam, positoq; pudore
Imbelli auferret Proserpina vertice crinem.
O mihi dulce caput, nunc exanimale cadaver,
Non magnæ molis, sed magnæ laudis, & omni
Viventûm genere inferior, si corpora spectes;
Sed si virtutes, ut nil est, sic nihil unquàm
Aut erit, aut sæclo cantabit fama fuisse
Præterito, huic formâ, modulis & voce secundum.
Voce & tristitijs animam lenibat, & irâ,
Pectora demulcens turgentia suave canendo,
Et me voce levi per amica silentia Lunæ
Curarum oblitam somnos suadebat inire.
Non hîc nobilitas antiquâ ab origine Grilli
Prætereunda, licet tenebris condatur, & avi
Invidiâ genus hoc altâ caligine mersum.
Grillus erat, facilem cui victum opera atque labores
Fornacumq; dabant structura, nobilis olim
Vir, patiensq; operum, parvoq; adsuetus & æquo.
Hunc Venus Idalio non dedignata cubili est,
Huic dedit amplexus crebrò, placidumq; petivit,
Infusa illius gremio, per membra soporem.
Primus adulterium, & furtivi fœdera lecti
Audijt Ignipotens, animisque expletus & iris

Furta thori, furtique locum speculatur, & igne
Corripit è medio candentem forcipe massam,
Vestigans oculis densâ in caligine mœchum.
Et iam surgenti Grillo, cursumq; paranti
Occupat os; illi scintillis flava reluxit
Cæsaries, & nidorem frons reddidit ustæ.
Sed Venus in medijs ignem fulgere tenebris
Et sparsò sensit thalamum maduisse cerebro
Mæsta patere dolos; mortalis conscia culpæ,
Et metuens meritas deserti coniugis iras,
Sepsit se nebulâ, noctique immiscuit atræ.
Tum longè gemitum, & morientis verba per umbram
Agnovit Grilli, quem cernens æthere ab alto
Exanimum, & sese nequicquam in vota vocantem,
Indoluit: nec enim æthereas revocare sub auras
Exsortem vitæ poterat, sed corpore parvo
Arctavit Cytherea animam, ut cognominis esset
Bestia amatori, nomenq; maneret in illâ,
Ne Veneris saltem Grilli monumenta perirent.
Addidit & dotes; nam nox humentibus umbris
Cum terras operit, somnos hortatur inire
Corpora præteritæ lucis defessa labore.
Et conclamatam dat faucibus ille salutem
Tonsillis, circumq; tumoribus, inflamatis,
Tum, quia sæpe solet fornacis ducere muros,
Moliriq; focos, hinc flamæ ignisq; corusci
Nondum cessit amor, nec cum formâ omnia primâ
Mutavit, sed adhuc muros, atque invia sævis
Felibus antra colit, calidique exesa camini
Saxa, ubi continuus fornacibus ignis anhelat.
Nunc venio ad grillum, cui mundi Phœbus ocellus
Non similem videt, aut, videat licet omnia, vidit.
Illum, signa novem magni lustraverat orbis,
Cum primùm iuvit radijs arcessere vitam
Et iam Tartareas iterùm descendere ad umbras
Adspicit, emeritis nec fecit cursibus annum.

Grillus enim, ut fauces praeclusáq; guttura frustrà
Erexit toties, toties sua funera plauxit
Ipse sibi lesso abrupto, finemq; peregit
Carminis & vitæ, lumen vitale reliquit.
Carmine summe ergò, & modulis viduata canoris!
Nam semper stridere solet, terræq; per umbram
Vix declinabat dulci sua lumina somno.
Vt cunctos, placidis queis plectra lacessere chordis,
Et quibus est studium resonas inflare cicutas,
Si modulis conferre velis & carmine grillos
Raucisonas corvos compresso gutture voces
Ingeminare, canesq; putes ululare per umbras.
Sed cur nunc primùm miseram sævissimus implet
Nuntius, & non ante ferens hunc fama dolorem,
Me movuit? quæ fata tulit quantosq; labores
A teneris animo puer Amphitruōnius æquo,
Æolidesve vagans terrâ quæ passus & alto,
Cum totidem in pelago quot in armis lustra peregit,
Ipsa lubens equidem constanti mente tulissem
Grille, ut vitalis posses ad sidera cœli
Rursus, & officium sub nocte redire canendi.
Quod vos per Superos, cœli & spirabile lumen
Matronæ obtestor, fletus mea suppleat orsa;
Sitq; satis, mæstus quod cœpit flectere sermo,
Iam peragat vobis taciturnus cætera luctus.
Flere simul, quantumq; dolor, miserescite, poscit.
Nam leviùs lacrymæ, & mentem mortalia tangunt,
Quæ simili luctu & lacrimis victna frequentat
Turba suis dolor, ipse dolor magnusq; recensque
In plures mitti sua fata, & spargere gaudet
Fortunam in comites; sortem, quam cernit amicos
Communem fecisse sibi, quis ferre recuset?
Vos igitur, Sociæ, persolvite iusta sepulcro,
Aggerite & tumulo terram, stent manibus aræ
Pullis velatæ vittis atrâque cupresso,
Vt tanti incumbat vobis pars ultima luctus.

Cento

Cento Virgilianus sive Hymnus, pro Arcis Haemstedæ, ipso Salvatoris nostri natalitio Profesto, felici inauguratione.

4.E. *IAm nova progenies cœlo dimittitur alto,*
3.E. *Et glacialis hiems aquilonibus adsperat undas:*
5.Æ. *Iamq; dies, ni fallor, adest, quē semper acerbum*
Semper honoratum pro tēpore fecimus: at tu* *7.E.
5.E. *Sis bonus, ô, felixq; tuis* hominumq; deûmq;* *1.Æ.
2.E. *O formose puer*, semper miserate labores,* *.6.Æ.
7 Æ. *Proxima* [a] CIRCÆ Æ *raduntur littora terræ;*
5 Æ. *Et tandem antiquis, quà se subducere colles* *.2.E.
Incipiunt, mollíq; iugum dimittere clivo,
3 Æ. *Provehimur portu, terræq; *allabimur oræ;* *3.Æ.
2 G. *Et quos Oceano propior* Mavortius* [b] HAEMON *9.Æ.
8.Æ. *Composuit, legesq; dedit;* ubi ponere sedes* *3.Æ.
4.Æ. *Adsis, ô, placidusq; iuves,* da mœnia fessis* *3 Æ.
Et genus; & votis hîc nunc adsuesce vocari, *1.G.
8.Æ. *Vnde domo,* patriis acer *ex ossibus ultor* *4.Æ.
3.Æ. [c] VITTYS, *& sacrâ redimitus tempora lauro,*
7.Æ. *Agmen agens equitum, &* [d] FLORENTIS *ære catervas,*
6.Æ. *Ingreditur victor:* cui belli [e] insigne superbū* *8.Æ.
7.Æ. *Iam pridem resides populos,* desuetaq; bello* *8.Æ.
*Agmina in arma vocat, subito * turbante tumultu.* *6.Æ.
3.G. *Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa*
5.Æ. *Ferre sui dederat monumētū* fama per urbes.** 4.Æ.

 1.Æ.

1. Æ. *Si quà fata sinant,* * ‹COMITVM
quantum instar in illo est! *6. Æ.
3. Æ. *Hæc loca vi quondã* *pietate insignis & armis* *6. Æ.
7. Æ. *Contentus, latè iam tum ditione premebat*
3. Æ. *Debita, casurasq; inimicis ignibus Arces.*
*1. Æ. *Ergò eadem* *mea regna videns,* * *volventi-
bus annis* *1. Æ.
4. Æ. *Et recidiva manu,* *propiùs res adspice nostras,* *1. Æ.
2. Æ. *Da deinde auxiliũ, pater; atq; hæc omina firma,*
2. Æ. *Venit summa dies* *statuit quæ maxima sẽper;* 8. Æ.
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.
4. E. *Clara deûm soboles, magnũ Iovis incrementum*
8. E. *Nascere, præq; diem veniens age Lucifer almum.*
4. E. *Incipe parve puer risu cognoscere matrem,*
8. E. *Et nos, & tua dexter adi,* *in deserta sine ullis* *2. G.
2. G. *Hospitijs,* *raris habitata mapalia tectis:*
1. E. *Pauperis & tuguri* *congestum cespite culmen;*
10. E. *Nec te pœniteat pecorũ,* *domus alta superbis* *2. G.
Si non ingentem totis vomit ædibus undam;
4. E. *Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.*
4. Æ. *Devolat, & suprà caput,* *æthere lapsa, per
umbras* *2. Æ.
Stella facem ducens, multâ cum luce cucurrit.
2. G. *Adspice & extremis domitum cultorib. orbem
Eöasq; domos Arabum* *& sub sidere Cancri* *10. E.
4. G. *Ardentes, auro* *voluit rex magnus Olympi* *5. Æ.
Talibus auspicijs exsortem ducere honorem.
2. Æ. *Illam summi super labentem culmina tecti*
2. Æ. **Signantemq; vias* *(cælo ceu sæpe refixa* *5. Æ.
Transcurrũt, crinemq; volantia sidera ducunt)
5. Æ. *Excipiunt plausu pavidi, gaudentq; tuentes.*
1. Æ. *Corripuêre viam interea, quà semita monstrat.*
1. Æ. *Postquàm introgressi, & coràm data copia
fandi,*
5. Æ. *Genua labant* *immota locis, neque ab ordine
cedunt:* *3. Æ.
3. Æ.

3. Æ. *Dona dehinc auro gravia, sectoq; elephanto*
4. Æ. *Consternunt terram;* *monumentum & pignus
amoris* *5. Æ.
5. G. *Advolvêre focis* *molles sua thura Sabæi.* 1 G.
5. Æ. *Nec non & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt:* * *pueri satis est potuisse videre* 6 E.
1. Æ. *Progeniẽ. sed enim* *magnas it fama per urbes;* 4 Æ.
1. Æ. *Insignem pietate virum.* * *succedere cœlo* *4. G.
4. G. *Fata vocant:* *latè regem, belloq; superbum* *1. Æ.
Venturum * *antiquâ sub relligione tueri* *2 Æ.
3. Æ. *Cognatas urbes,* * *& debellare superbos.* *6 Æ.
4. Æ. *Multaq; præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant;* *volventib. annis* *1. Æ.
Hinc fore Ductorẽ *Tyrias qui verteret arces,*
4. E. *Pacatumq; regat patrijs virtutibus orbem,*
1. Æ. *Qui mare, qui terras, omni ditione teneret.*
4. Æ. *Hæc dea fœda virûm passim diffudit in ora;
Protinùs ad Regẽ cursus* * *obmutuit amens* *4. Æ.
4. Æ. *Attonitus tãto monitu,* *& vox faucib. hæsit* *1. Æ.
1. Æ. *Delectos populi ad Proceres* *gentemq; Togatã* 1 Æ.
3. Æ. *Monstra deûm referens,* * *humeris abscindere
vestem* *5 Æ.
4. G. *Instituit, dum iam* *quæ sit sententia poscit:* *3 Æ.
Omnibus idem animus; * *quam primùm ab-
rumpere lucem,* *4 Æ.
1. Æ. *Si quà fata sinant,* *puero, quo ferrea primùm* *4. E.
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.
5. Æ. *Omnibus, in morẽ,* *potior sententia visa est,* *4. Æ.
4. Æ. *Arma parent, & quæ sit rebus causa novandis
Dissimulent, sese intereà quãdo* *quoq; Mater* *7. E.
7. E. *Improbus ille puer* *rumpi non speret amores* *4. Æ.
Tentaturum aditus. *iuvenum* *manus emi-
cat ardens,* *6. Æ.
2. Æ. *Estq; animis pronis furor additus:* *inde, lupi ceu* *2. Æ.
Raptores, atrâ in nebulâ, rapiuntq; feruntq; * 4. Æ.
2. Æ. *Plurima perq; vias sternuntur inertia passim*

Corpora

Corpora; lamentis, & fœmineo ululatu,
Tecta fremũt crebris, lavit ater corpora ſanguis** 3. G
6. Æ. *Continuò auditæ voces, vagitus & ingens:*
2. Æ. *Corpora gnatorũ* ante oculos atq; ora parentũ** 2. Æ.
3. Æ. *Et terrã tabo maculant, * & ab ubere raptos** 6. Æ.
Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.
1. Æ. *Sed pater omnipotens * procedere longiùs iras** 5. Æ.
Et ſævire animis, en, ellum haud paſſus acerbis,
10 Æ. *Infit; eo dicente deûm domus alta ſileſcit:*
1. Æ. *[illegible]nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus*
4. G. *Te, veniente die, te, * ni mea curâ reſiſtat,* *2 Æ.
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauſerit enſis.
4. Æ. *Quin fugis hinc præceps, dũ præcipitare poteſtas,*
2 Æ. *Nuſquàm abero, & tutum * gens fortunata*
Canopi *4 G.
1. Æ. *Excipiet gaudente polo;* poſt fata Tyranni** 1. Æ.
4 Æ. *Difficileſq; obitus *patrio te limine ſiſtam* *2. Æ.
4 G. *Gnate, licet triſtes animo deponere curas.*
2 Æ. *Dixerat & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.*
3. Æ. *Haud ſecus ac iuſſi faciunt:* aurora rubebat,** 4 Æ.
4. Æ. *It portis, iubare exorto, *per tela per hoſtes,** 1. Æ.
5 Æ. *Nulli viſa cito decurrit tramite Virgo,*
4. Æ. *Diva parens generis. * tardiq; agitator aſelli,** 1. G.
5. Æ. *Niſus amore pio pueri,* imperioq; deorum.* *1. Æ.
8. Æ. *Ex illo celebratus honos letiq; minores*
Servavêre diem ſollenneſq; ordine pompas.** 5. Æ.
8 Æ. *Salve vera Iovis proles, decus addite divis,*
2. G. *Da facilem curſum, atq; audacib. annue cœptis;*
4. Æ. *Te duce, ſi qua manẽt* opera interrupta, minæq** 4. Æ.
Murorum ingentes, tecto & concludere ſulco,** 1. Æ.
1. Æ *Moliriq; Arcem, & vaſtâ convulſa ruinâ* 3. Æ.
8 Æ. *Iungere caſtra paro; veterũ monumẽta virorũ,** 8. Æ.
3. Æ. *Hoſpitiũ antiquũ* revocato à ſanguine Teucri:** 1. Æ.
3 Æ. *Da pater augurium; * atque animis, & te*
quoque dignum 8 Æ.
Finge Deo, rebuſq; veni non aſper egenis.

NOTAE

Notæ in Centonem.

a *Zirczee*, Zelandiæ oppidum, cujus originationem nominis, quidam ab ipsâ *Circe* petere non dubitãt. Meri aretalogi, & nugatores.
b HÆMON ſive HAIMAN (quod nomen hodiéque in uſu apud Zelandos) Arcis Haemſtedæ conditor primus, ut creditur.
c VITTYS ſive WITTE de Haemſtede, inveſtitus anno 1299.
d Nam Comitis Hollandiæ Florentij Quinti nothus fuit, poſt obitum patris, geminâ præſertim victoriâ nobilis, circa annum 1304 Vide Chronicon Holland Diviſ. XXI. cap. XII. & ſequentibus, adde & P. Scriverij V. C. Batavica vernacula.
e Præferens leonem rubrum, vetus Hollandiæ Comitum inſigne.
f Ex nobiliſſimâ Comitum Hollandiæ familiâ matre quoque nobili ex generosâ Heuſdanorum ſtirpe. Vide Scriveriana.
g Conflagravit Arx, anno 1525.

Faunus Haemſtedæus.

Viderat Haemſtede Galateam è collibus udam
Faunus, in Oceani littore, ferre gradum.
Viderat, at viſam immaturo ardebat amore,
Auſus & agreſtis talia verba pudor:
Linque undas Galatea, meis ſuccede ſub antris;
Tutius his, cernes, ut ſit habenda fides
Infidum eſt pelagus, pelagi tu rejice mores,
Eſt vagus, & , refugis fluctibus, errat amor.
Montibus at noſtris, conſtans & firmus, ut ipſi,
Creſcit & , ut ſilva, coniugialis Hymen.

Terpe

Perpetuis horrent fluctus Aquilonibus, intrat
Mollibus à Zephyris almus in antra tepor.
Turbida lymfa mari, liquidissima fontibus unda est,
Hic flores, illic fœda dat alga thorum.
Diffundunt platanus nobis & tegmina fagus,
At sterilis, nudo littore, arena iacet.
Vos salsas potatis aquas, nos, dulcia Bacchi
Munera libantes, cura dolorq; fugit.
Ducimus & festas per gramina læta choreas,
Addimus &, quos non noverit unda, iocos
Spectatum venias, certè spectata placebunt,
Me quoque, si videas, posse placere puto.
Siste gradum tantùm, nec vultu versa recede,
Gaudia nec nôsti, nec tua nosse cupis.
Ipsa Venus, licet orta mari, mare spernit, habetque
Idalios montes, & nemora alta Cypri.
Quod Venerem decuit, cur te decuisse negabis?
Silvestri tulit hæc oscula sæpe viro.
Sed tua cur genetrix, pelago gavisa relicto,
Ivit in amplexus Æacidæq; thoros?
Mortali potius, quàm Divo nupsit aquarum,
Sis mihi tu coniux, Tethyde maior eris.
Nec Glaucus mihi, nec Tritonum numina narres,
Monstrosos turpis continet unda Deos.
Os madidum est spumis, viridem ferrugine barbam
Verrunt, & spurcas per freta longa comas.
Impexum setis, limoque, algâque recenti
Fœdatum pectus fragrat odore gravi.
Hæc tenerum innectant tibi cærula brachia collum?
Crwaque, pinnigero lurida pisce, teras?
Hei mihi, tam roseisq; genis, roseisq; labellis
Oscula miscebit spurca saliva feræ?
Hei mihi, lacteolo hoc collo, durisq; papillis
Nequitiæ immundas imprimet ore notas?
Si sapias, Phorcosque, senesq; Palæmonas omnes,
Quæque alia horrori est & mihi turba, fuge.

Non hæc crediderim sectari monstra puellas,
Quòd tepidum sancto pectus amore gerant:
Sed mage, ut in captâ, si qua est pulcherrima, nymphâ
Expleat insanam carius ira famem.
Hancq; malè (hei) miseram mulcant complexibus antè,
Pallidulamque iubent plurima sæva pati.
Hostibus eveniat nostris amor iste, tuisque,
Crede mihi, flamma tu magis apta mea.
Littora num fugiat, quæcunque est pulcra, puella?
Sunt etiam hæc pulcris insidiosa viris.
Tu licet impunè horrendum maris æquor arasti
Hactenùs, exemplis disce timere tamen.
Cùm pelagi primùm nova monstra lacesseret Argo,
Hercule cum magno candidus ibat Hylas,
Est puer è cunctis electus vindice pœnâ,
Ætate & formâ conciliante necem.
Clamabat, fer opem, Alcides carissime, merso,
Clamanti perhibent increpitasse freta.
Rarus in Hippolyto decor oris, & inclita formæ
Gloria, quâque etiam victa noverca, fuit.
Ille, pudicitiâ felix & flore inventæ,
Si tantùm pelagi non adamasset aquas.
Littoris extremi nam fluctus forte legentem
Excussit propriis Phoca marina rotis.
Sævior in vestrum est harum inclementia sexum,
Experta est miros, inguina, Scylla canes.
Cùm mare sub tauri specie sulcaret adulter,
Amissum flebat regia virgo pecus.
Flebat, at irrisu flentem excepere cavernis
Cete, Dictæis quæ stabulantur aquis.
(Acceptam movisse fidem tu parce, vetustas
Pro magno semper teste probata fuit.)
Mox aliud flebis, clamarunt; littore in isto
Perditus Europæ est virginitatis honor.
Viscera sperabant & pascere corda relicta
Virginis, & tenero membra fovere sinu.

Iuppiter increpuit, sese confessus; & ille
Profuit in gremio tunc tenuisse Iovem.
Quid loquar Andromedam? pendentem rupe parabat
Ex ipso pistrix dilaniare freto.
Non illi auxilium mœsti præbere parentes,
Vix poterant lacrimis associare suis.
Respiciens tunc antra procul, Cepheaq; tuta,
Optavit patrium posse subire nemus.
Æquora damnavit, timuit quoque littora seri;
Quodq; ferum aut atrox illa vel illa creant.
Quam tulit ut Perseus, caussam, pretiumq; laboris,
Exosum, quoque nunc, littus & æquor habet.
Quippe polo fulgens, monitus non spernit amantis.
Est mea, quæ Persei cura, relinque fretum.
Tu toties, etiam nunc, aversata monentem,
Das mea verba tuis in mare ferre Notis.
Nec quòd fusca fuit, cedat tibi filia Cephei,
Ne tumeas, lactis candida nomen habens.
Hic Veneris decor est, Veneris si numina temnis,
Nec Veneris, nec tu digna decore tuo es.
Dum spernit Paphiam, dum spes adfectat easdem
Cum Triviâ, quondam candida Persephones
Rapta Iovi Stygio, postquàm ieiunia solvit,
Nunc habitat fuscas, fuscior ipsa, domos.
Omnia sint à te procul hæc, notissima ponto
Numina tu his mecum tu venerare casis.
Hic umbram dat fronde nemus, dant arbuta silvæ,
Credere quis possis Numen inesse locis.
Dissidij ignaros, extremo in limite mundi,
Et curæ vacuos hæc habet ora deos.
His agimus solis obscurum montibus ævum,
Otiaque Elysiis invidiosa locis.
Sic alij: mihi ne desint ex omnibus uni
Omnia in hac vita prosperitate, Venî.

FINIS.